

CAROLI SEBASTIANI
BERARDI

IN R. TAURINENSI ATHENÆO
JURIS ECCLESIASTICI ANTECESSORIS
AC
De rebus ad Canonum Scientiam pertinentibus
CONSULTORIS REGII

INSTITUTIONES
JURIS ECCLESIASTICI.

OPUS POSTHUMUM
IN DUAS PARTES TRIBUTUM.

PARS II.





AUGUSTÆ TAURINORUM.
Typis Ignatii Cafassi, & Antonii Bussani.

Extant apud GEORGIUM DOMINICUM MARIAM MORANUM
Bibliopolam prope Turrim Civitatis.

INDEX

TITULORUM PARTIS II.



LIBER I.

De personis Ecclesiam componentibus. pag. 1.

Titulus

LIBER II.

LIBER III.


Titulus

LIBER IV.


Titulus

LIBER V.

Titulus



PARS



PARS II.

SUMMA
JURIS ECCLESIASTICI
DOGMATA.

LIBER PRIMUS
DE PERSONIS ECCLESIAM COMPONENTIBUS.

TITULUS I.
GENERALIS PERSONARUM TRIBUTIO.

I.



Unt in Ecclesia, uti in omni societate, officia, munera, jura, atque onera. Hæc autem vel communia omnibus sunt, vel specialia quorundam. Quæ specialia quorundam sunt, caussam præbent tributioni personarum.

II.

Ecclesia Christi Divinas accepit leges certo testimonio palam proponendas, atque explicandas. Quandoque etiam accepit extra ordinem Divina mandata singularia simili ratione edita, vel edenda. Sive leges generales, sive mandata singularia, sæpe, ac sæpius indigent certorum virorum scientia, qui cum illas memori studio didicerint, ac calluerint, tum easdem factis, prout incidunt, applicent, &, si opus sit, interpretentur. Præter hæc sunt in Ecclesia ministeria sacra, per quæ sanctum ineffabile inter Deum, & homines commercium exercetur, Divinaque dona justificationis, & gratiæ hominibus communicantur. Ut Divina virtus etiam sensibilibus signis eluceat, quandoque Deus per pios homines præter naturæ ordinem miracula edit. Insuper in multiplici personarum genere, & numero firmiores infirmioribus præsidium, patrociniumque suppeditant, imo & omnes, quicumque sint, se se mutuis operis adjuvant, atque confirmant: digniores ad certum munus adlecti inferioribus jura & dictant, & reddunt caussa stabiliendæ, curandæque publicæ politiæ. Denique ut Divinæ, ecclesiasticæque leges certis formulis conceptæ populis omnibus longe lateque diffusis compertæ

fiant,

fiant, varia linguarum genera necessaria sunt; quemadmodum & ut unitas variarum gentium, imo & plurium sæculorum magis magisque servetur, opus est interpretatione sermonum, quibus aut usi veteres fuere, aut alienigenæ utuntur. Sunt hæc singula officia, juxta quæ auspicatus est Apostolus Paullus in epist. 1. ad Corinth. cap. 12. partitionem exactissimam personarum, quibus Ecclesia constat, his verbis: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Tributio isthæc personarum eximia est, atque Apostolo digna, juxta quam nemo unquam debeat alienum officium sibi vindicare, nisi Divina voluntate multa uni commissa officia demonstrentur. Tantum illud unicuique superest Paullo eodem mandante exequendum præceptum. *Æmulamini charismata meliora*.

Similis ferme tributio conspiciebatur in vetere Synagoga Judæorum. Multi in ea

fuerunt a Deo missi palam edituri Divina mandata, uti Moses, Esdras, aliique, quorum ministerium dici quodammodo apostolicum potuisset. Multi Prophetæ, ex eo præsertim, quod tum opus esset vaticinio grandium Divinarum rerum futurarum. Multi quoque legis Doctores, sacramentorum, ac sacramentalium Administri in Aaronica, & Levitica Tribu. Non deerant, qui præsidium, operamve conferrent. Miracula passim perpetrata. Quandoque etiam linguarum periti interpretes adhibebantur, ut ut horum officium non adeo necessarium videretur, propterea quod Judaica lex singularis esset, edita ad usum unius populi, non gentium universarum.

Itaque *Apostoli* Divinam legem, sive Evangelium, quod a Christo ipso didicerunt, populis annunciarunt. Et quando hæc annunciatio perpetua esse debebat, in hoc officio successores habuerunt, quales sunt Episcopi, & qui Episcoporum adjutores sunt Presbyteri. *Prophetæ* Divina oracula pandere identidem visi sunt, ceu singularia quædam Divina mandata. Horum nulla successio est, cum extra ordinem selecti a Divino Spiritu fuerint, & seligantur etiam sine sexus discrimine; eam ob rem in cap. 21. Actorum commemoravit

S.

S. Lucas quatuor Philippi Diaconi filias virgines prophetantes. Dixeris jure optimo, Prophetas identidem extra ordinem a Deo excitari. *Doctorum* officium tamdiu in Ecclesia fuit, est, eritque, quamdiu necessarium est, ut sint, qui jura calleant, & prout res incidit, exponant. Quando vero officium hoc ex ingenio, ex anteactis studiis, atque ex quæsita prudentia pendet, non certo alicui personarum generi, sive conditioni mandatum unquam est, sed iis, quos ii characteres exornaverunt. *Virtutes*, quarum nomine ego intelligo operationes Divinorum mysteriorum, quæ fiunt per Sacramenta, & Sacramentalia, ex vi suscepti sacri ordinis pendent. Divinus in certis ministris in ordinatione impressus character signum est, quo Deus rata habet quæcumque administri Divino nomine operantur. Munus sane perpetuum est, eodem jure, quo perpetuo Sacramenta sunt in Ecclesia administranda. *Gratia curationum* adcensetur miraculis, quorum editione Deus identidem palam testatur, se Ecclesiæ suæ adesse speciali ratione, & hoc ministerium extra ordinem excitatur, nullo habito personarum discrimine: Deus ipse personarum delectum sibi reservavit. *Opitulationes* ab illis in Ecclesia expectantur,

 qui

qui potentiores in Ecclesia sunt, ac possunt Ecclesiam ipsam patrocinio, tutela, defensione, operaque fovere, ac tueri. Inter istos eminent religiosi Principes, magistratus, dignitatesque universæ, optimates, proceres, illique omnes, quos posterior ætas Ecclesiarum patronos, aut advocatos nominavit. Horum omnium officium perpetuum in Ecclesia est ea significatione, ut perpetuo esse debeant, qui parati sint ad tuendam Ecclesiam, prout opus fuerit, non ita, ut perpetuo officium illud exerceatur. *Gubernationum* munus ordinarium est; cura enim sacræ politiæ fere quotidiana esse debet: quomodo vero tribuenda sit, id totum Ecclesiæ placitis datum est, imo & sæpe moribus populorum; quamobrem variam in hac re diversis temporibus, & provinciis disciplinam fuisse conspicimus. Quod de Doctoribus dictum est, idipsum dicere oportet de *generibus linguarum, & interpretationibus sermonum*. Debent perpetuo esse in Ecclesia, qui his officiis fungantur; id tamen artis, & peritiæ est opus.

Ad summa tria capita referri possunt singula hæc officia: alii enim, ut ita loquar, plantant, ac serunt, cujusmodi sunt Apostoli, Prophetæ, Doctores: alii irrigant, cujusmodi

di ſunt virtutes, gubernationes: alii denique dirigunt, muniunt, ac fovent, cujuſmodi ſunt gratiæ curationum, opitulationes, genera linguarum, & interpretationes ſermonum.

Quamquam hujus generis officia diſtincta per ſe ſint, quandoque tamen unum alteri aut neceſſario cohæret, aut cohærere belle poteſt, aut etiam cohærere maxime decet. Apoſtolorum perſonas inſignivit Deus gratia Prophetiæ, gratia cœleſtis doctrinæ, gratia curationum, generibus linguarum, & perceptione ſermonum. Succeſſoribus Apoſtolorum neceſſario competunt & virtutum, & gubernationum officia: ut etiam Doctores ſint, canonibus jubetur; ut generibus linguarum, & interpretatione ſermonum polleant, conſilium datur. Prophetæ concitantur ex quocumque genere Divino afflatu; non ſemper tamen aut Apoſtolicum munus gerunt, aut Doctores ſunt, aut virtutum characteribus præditi, aut aliis prærogativis donati. Doctores non ordinatio, ſed doctrina, ac prudentia facit. Ubicumque & doctrina, & prudentia eſt, ibi Doctorum munus belle conſtituitur. Virtutes ſequuntur perpetuo ſacræ ordinationis characterem pro modo ſingulorum, itaut in ordine Epiſcopali ſingulæ jungantur, in ceteris inferioribus di-

 vidantur.

vidantur. Gratia curationum Divinum munus eſt, & ex quocumque genere ſeligi a Deo poſſunt, imo & conſueverunt, qui mirabilia præſtent. Opitulationes ſequuntur poteſtatem: in quocumque genere poteſtas ſit, in eo locum habere opitulatio poteſt. Gubernatio Pontificiæ ordinationi cohæret, ita tamen, ut Doctorum conſilio indigeat, imo & duce prudentia exerceatur; eamque ob rem viciſſitudinibus ſubjacet pro adjunctorum varietate; quod in cauſſa eſt, ut gubernationes quandoque adſcriptæ ſint illis, qui Epiſcopalem characterem non habent. Genera linguarum, & interpretationes ſermonum in quocumque etiam genere inveniuntur penes eos, qui arte, & peritia polleant.

III.

Vulgatiſſima æque ac celeberrima eſt partitio perſonarum Eccleſiam componentium, inter clericos, & laicos. Clerici dicuntur, quos ſacra ordinatio diſtinguit, ceteri laici nominantur. Clericorum etiam nomine donati ſunt, qui nomen ſuum ita Eccleſiæ dederunt, ut probationis cauſſa in tyrocinium admiſſi ſint Epiſcoporum auctoritate, & facto, ſpe concepta brevi futurum, ut ordinentur. Initiantur iſti, cum tondentur, & incipiunt eccleſiaſticis inferioribus miniſteriis

aſſue-

assuescere. Inter clericos, & laicos medium quendam locum tenent monachi, qui olim, utut ordinibus ecclesiasticis insigniti non essent, adhuc tamen a laicorum cœtu secernebantur ob assiduam Divinarum rerum meditationem, cui uni vacui ceteris curis deditì erant. Quodammodo etiam dici poterant, esse in probatione clericatus instar eorum, qui hodie prima tonsura initiantur. Quippe frequentissime contingebat, ut Episcopi ad clerum promoverent illos, qui vitam monasticam diu cum laude transegissent. Huic consuetudini morem gerens S. Hieronymus sic Rusticum quendam monachum alloquebatur in can. 26. cau. 16. qu. 1. *Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis: multo tempore disce, quæ postmodum doceas.*

Hodie monachi in clero connumerantur, postquam & ipsi clericalibus ordinibus insigniti sunt.

Potiore jure clericis adcensentur regulares illi, qui clericalem vitam cum monastica ex sui institutione junxerunt.

IV.

Clericorum tot numerantur gradus, quot ordines. Quæ singulis ordinibus competant, discretæ singularum ordinationum formulæ aperte demonstrant. In Episcopatu gradus omnes

omnes cumulantur: Presbyteri conſtituti ſunt ceu adjutores Epiſcoporum: Diaconi in Presbyterorum æque ac Epiſcoporum miniſterium dati: Subdiaconi ideo conſtituti, ut ampliſſimam, & laborioſam Diaconorum curam levarent: Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii, ut minora Eccleſiæ officia gererent. Poſterioribus olim adnumerabantur etiam Cantores, Pſalmiſtæ, quandoque etiam Notarii, niſi dixeris, Notarios electos fuiſſe inter Diaconos, aut Subdiaconos, ſicut & Œconomi, ſive Curatores bonorum temporalium ad Eccleſias pertinentium.

Veteres numero plures ordinationum clericalium formulas recenſuit Gratianus in diſt. 23. can. 7. 8. 11. 15. 16. 17. 18. 19. & 20.

V.

Neque laicorum omnium una eſt ratio, idemque ſingulorum modus ſine diſcrimine. Ut enim omittam memorare aut illos, qui adhuc in catechumenatu conſiſtunt, aut illos, qui catechumenatum emenſi necdum Sacramentum Confirmationis ſuſceperunt, aut illos, qui in ſtatione pœnitentium conſiſtunt; dixero, tot eſſe laicorum gradus, quot ſunt officia conditioni etiam laicorum competentia. Generatim electiones ſacrorum adminiſtrorum

ſtrorum olim non cleri modo conſilio, ſed & conſenſu laicorum omnium fiebant. Interveniebant etiam laici, ubi ea negotia agerentur, quorum executio omnium ſine diſcrimine intererat; quo ſpectat ſententia Nicolai I. in can. 4. diſt. 96. Quæ ex ſuperius commemorata Apoſtoli Paulli doctrina ad opitulationes pertinent, indicant ſingularia in Eccleſia jura Principum religioſorum, qui & Eccleſiæ, & eccleſiaſticorum canonum tutores, ac vindices ſunt. Idem dixeris de magiſtratibus, de proceribus, de optimatibus, qui omnes dignitate ſua inter laicos etiam in Eccleſia præcellunt. Sua quoque ſingularia jura a communibus apprime diſtincta habent advocati, & patroni Eccleſiarum, ſua unicuique pro virili parte attributa, ac canonibus confirmata.

VI.

Eſt alia perſonarum tributio, quæ non ex Sacramentorum, ac Sacramentalium miniſterio repetitur, ideſt ex virtutibus, quæ ineffabile commercium inter Deum, & homines, juxta memoratam Apoſtoli Paulli doctrinam conſtituunt; ſed repetitur ex gubernatione Eccleſiæ, qualem a virtutibus Paullus idem diſtinxit, pertinetque ad regimen ſocietatis Sacrorum publicum, quale inter homines

conſtitui

constitui debuit. In hac rerum specie a ministeriis ordinum distinguuntur jurisdictiones, & officia quæcumque ecclesiastica, quamquam sæpe numero ordinibus ipsis aut jurisdictiones, aut officia vel cohæreant, vel cohærere necessario debeant. Hanc ob rem alii in Ecclesia dicuntur jurisdictionem, alii officium habere: alii & jurisdictione, & officio carent. Ex istis qui jurisdictione, & officio carent, alii nihilominus jurisdictiones, aut officia adjuvant aut potestate, aut consilio; alii & potestatis, & consilii sunt prorsus expertes.

Jurisdictionis nomine hoc in loco intelligitur facultas decernendi, jura constituendi, formam regiminis inducendi, moderandi res sacras, judicandi, & pœnarum canonicarum indictione curandi executionem illius, quod rite deliberatum, constitutum, decretum, judicatumque fuerit.

Nomine officii intelligitur certum munus alicui competens, singulare, sine ulla jurisdictione, seu publica decernendi, coërcendique potestate.

Potestate adjuvant jurisdictiones, aut officia, quotquot idonei sunt, ut præsidio, patrocinioque suo & jurisdictiones, & officia tueantur, quo libere suum munus exequi possint. Con-

Consilio & jurisdictiones, & officia adjuvant, quotquot doctrina, prudentiaque præstant.

VII.

Jurisdictionem præter Pontificem Maximum habent Episcopi universi, pro modo administrationis unicuique commissæ post divisionem Diœceseon, ac Provinciarum. Invicem ipsi ita se respiciunt, ut unus alteri subsit: Divino jure omnibus præest Pontifex Maximus: ecclesiastico jure ita ordinata res est ad amplitudinem cleri totius accuratius dirigendam, ut Patriarchæ Primatibus, Primates Archiepiscopis, Archiepiscopi Episcopis immineant. Cum Sedes Episcopalis vacat, jurisdictionem Episcopalem diœcesanam clerus olim exercuit, nunc ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ contractam. Sub Episcopis certi Prælati quandoque constituti sunt Episcoporum eorundem auctoritate, qui jurisdictionem exercerent suis tamen finibus circumscriptam, in certum clericorum genus. Certum est, jurisdictionem hanc Episcopis ingenitam potuisse aliis mandari, & singularibus titulis adquiri.

Sic in collegiis clericorum constituti sunt Præpositi, Decani, Abbates, vel Priores, inter Presbyteros Archipresbyteri, inter

Diaconos

Diaconos Archidiaconi, inter Notarios Primicerii. His adjici possunt Prælati regulares. Hodie tamen Episcopi, & quidem jamdiu maluerunt uti opera illorum, quos modo Vicarios Generales, modo Officiales vocant.

VIII.

Sunt in officio, & quidem sine jurisdictione, quotquot in clero constituti singulare munus gerendum susceperunt.

Sic in Ecclesiis conventualibus instituta sunt officia Theologorum, Scholasticorum, Pœnitentiariorum, Cantorum, & similia: in Ecclesiis simplicibus officia Parochorum, & alia.

IX.

Et prisci canones, & vetera Patrum monumenta perpetuo tradiderunt, ab Ecclesia spem magnam collocari in patrocinio religiosorum Principum. Isti propterea jure ac merito dicuntur potestate Ecclesiam adjuvare. Ad ipsos prope accedunt cujusque reipublicæ Optimates, & Proceres. In Ecclesiis minoribus patrocinium quoque suum exhibent Advocati Ecclesiarum, ac Patroni.

X.

Consilium præbent Doctores, & pro modo rei, de qua agendum sit, disciplinarum periti. Et quando cautum sacris canonibus

est,

est, ut nonnisi viri docti, ac prudentes in clericorum coetu, præsertim in Cathedrali Ecclesia apud Episcopum, adscribantur; vetus fuit Ecclesiæ consuetudo, qua clerici omnes in id opus eligerentur, aut saltem canonici Cathedralis Ecclesiæ ab Episcopi, cui in promtu esse possunt, consiliis essent.

Hæc plane consilia totius cleri adhuc hodie in Episcopalibus Synodis in usu sunt, aut esse debent; quemadmodum extra Synodos in usu sunt, atque esse debent consilia canonicorum. Gratulandum semper erit Ecclesiis, quoties tales clerici, aut saltem canonici Cathedralis Ecclesiæ seligantur, quales esse valeant præbendo consilio pares.

XI.

Itaque ut partitionem illam personarum, quæ hodie in Ecclesia certo discrimine conspiciuntur, paucis colligam, dixero, hunc esse ordinem. Videlicet primo recensetur Pontifex Maximus; inde Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati inferiores, Parochi, ceteri Clerici, Monachi, aut Regulares; Vicarii Papæ, Vicarii Episcoporum, Vicarii Parochorum. Hi omnes clerum constituunt. Extra clerum sunt in primis religiosi Principes, deinde Proceres, Optimates, Patroni, & Advocati Ecclesiarum; laici denique universi. De

De his perſonis ſingillatim in hoc libro agitur. Quæ vero perſonæ Collegium conſtituunt, in ſecundo libro indicabuntur.

TITULUS II.

DE PONTIFICE MAXIMO.

I.

CURAM Eccleſiæ ſuæ, & eccleſiaſtici regiminis univerſi commiſit Chriſtus Dominus electis Apoſtolis; Apoſtolorum autem conſtituit Principem S. Petrum. Sicut ergo Apoſtolorum dignitas, poteſtas, & officium debuit eſſe perpetuum in ſucceſſores veluti per gradus transferendum; ita perpetuus debuit eſſe Petri Principatus, adeo ut in perſona Petri datus cenſeri debeat Petri ejuſdem ſucceſſoribus univerſis.

Hæc prima fuit Eccleſiæ forma a Chriſto ipſo præſtituta, ideoque perennis, atque immutabilis. Ita docent ſacræ literæ, quibus conſtans traditio ſuffragatur.

II.

Poſtquam Petrus diu Antiochenam Sedem tenuiſſet, tranſtulit ſe Romam, Romanoque Epiſcopatu erecto, ibi Pontificatum Maximum geſſit, ejuſdemque Maximi Pontificatus reliquit ſucceſſores. Ergo Romanus Epiſcopus

Petri

Petri successor est, ideoque Divino jure Primatum in Ecclesia tenet.

III.

Principatus hujus potestas duobus summis capitibus constat. Primum caput est ea gerere, quæ universam Ecclesiam uti universam spectant. Alterum caput est Antistitum universorum supplere defectus, vel excessus corrigere.

Primum caput facile eruitur ex formulis evangelicis, quibus Christus allocutus est Petrum. Postquam enim ipse Apostolis omnibus quæcumque solvendi æque ac ligandi facultatem concessisset, singulari sermone conversus ad Petrum, quæcumque ligandi, solvendique quasi novam facultatem concessit. Etsi vero expressæ istæ formulæ deficerent; ipsa natura regiminis postulat, ut quæ societatem universam respiciunt, a Principe pendeant. Profecto certa sunt negotia in quacumque republica, quæ si non a Principe gerantur, irrito conatu ab aliis fierent. Quid enim, si publica celebranda comitia sint? nonne ab eo indicenda, qui Princeps est, & universos advocare, & cogere ad conventum possit? Multa alia esse possunt hujus generis exempla.

Alterum caput perſpicue ex Evangelio ipſo deducitur. Chriſtus enim Petrum alloquens, ei mandavit, *ut aliquando converſus confirmaret fratres ſuos*. Quid aliud eſt *aliquando confirmare fratres*, quam ſi exceſſerint, cohibere, aut ſi defecerint, eorundem oſcitantiæ preſto eſſe? Hinc profluunt devolutiones, appellationes, & alia hujus generis.

TITULUS III.

DE PATRIARCHIS.

I.

VEtus fuit conſuetudo, qua ſingulari nomine, imo & poteſtate inſignirentur illi Epiſcopi, qui eam Sedem tenerent, quam S. Petrus Apoſtolorum Princeps olim tenuiſſet. Tres autem fuere Epiſcopales Petri Sedes; primum Antiochena, quam dimiſit, ut Romam pergeret, deinde Alexandrina, quam tenuit miniſterio S. Marci, tandem Romana, in qua obiit, Pontificatu Maximo in ævum decorata. Tres iſtas Sedes ad honorem Petri Patriarchales dixerunt, & eos, qui eas tenerent, Patriarchas.

II.

Non honor ſolum conceſſus eſt Patriarchis, ſed juriſdictio etiam ſingularis. Nam cum tributæ

tributæ inter Episcopos diœceses fuerint, constitutique varii Episcoporum gradus, cautum fuit, ut singulis Patriarchis late diffusa administratio quædam concederetur, ut non Episcopis modo, sed & Archiepiscopis, ac Primatibus præessent, ipsi autem neminem, quam Pontificem Maximum superiorem agnoscerent.

In hac constitutione singularis potestatis non jus Divinum intercessit, sed jus positivum ecclesiasticum. Utilitas publica suasit, ut inter Episcopos quidam seligerentur, atque isti in majori gradu collocarentur, ita consentientibus universis Episcopis, ac Pontifice Maximo. Quippe Episcoporum intererat consentire: qui alias inter se pares potestate fuissent, uno demto Pontifice Maximo: intererat etiam Pontificis Maximi consentire; Patriarchica enim potestas erat derivatio quædam potestatis Pontificatus Maximi, cui uni Episcopi omnes sine discrimine suberant inspecta Christi institutione.

Inde fluit non aliam majorem potestatem Patriarchis competere, quam quæ aut expressa canonum definitione, aut diuturna probata consuetudine demonstretur.

III.

Successione temporum cum Constantinopolitana urbs appellaretur nova Roma, & revera esset Sedes Imperialis, Episcopi ejusdem urbis certas quoque prærogativas, saltem Patriarchales, affectare cœperunt. Res bene cessit, obtinueruntque, ut & ipsi divisis finibus, Patriarchatus honorem, potestatemque haberent. Honor urbis Hierosolymitanæ, in qua nostræ redemtionis mysteria completa sunt, visus quoque fuit postulare, ut ejus urbis Antistes Patriarcharum juribus gauderet. Istæ duæ Patriarchales Sedes habitæ sunt tales ex privilegio, non juxta veteris disciplinæ formam, quæ ideo Patriarchales Sedes in Romana, Alexandrina, & Antiochena Ecclesia erexit, quod istas Ecclesias S. Petrus Apostolorum Princeps administravisset.

Hic ordo inter plures Parriarchas tandem receptus est, ut primus locus daretur Romano, secundus Constantinopolitano, tertius Alexandrino, quartus Antiocheno, quintus Hierosolymitano.

Quidam alii Episcopi, præsertim majorum civitatum, aliquando Patriarcharum nomine sub Longobardorum regimine donati sunt. Sed hæc appellatio fuit impropria.

TIT.

TITULUS IV.

DE PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, VEL METROPOLITANIS.

I.

IN tributione dignitatum Episcopalium, postquam diœceses inter Episcopos divisæ sunt, sequebantur veteres civilem imperii formam. Postulabat Ecclesiarum utilitas, ut unus Episcopus alteri præesset in provincia, vel natione. Censuerunt, ut is inter Episcopos nationis, vel provinciæ Princeps haberetur, qui Episcopus esset illius civitatis, quæ juxta formam imperii Metropolis & ceterarum caput existeret. Itaque ubi in natione certus esset Episcoporum Princeps designandus, designabatur Episcopus civitatis in natione majoris, ac Primas appellabatur: ubi in provincia certus esset Episcoporum Princeps designandus, designabatur Episcopus civitatis in provincia majoris, ac Metropolitanus, vel Archiepiscopus nominabatur.

Singularis fuit forma Africanæ Ecclesiæ; quamquam enim ibidem Primatum gereret nationis Episcopus Carthaginensis, ceu urbis in Africa majoris; is tamen erat singularum provinciarum Episcopus Princeps, qui in provincia senior esset inter compro-

vinciales; eamque ob rem nec Metropolitanus, nec Archiepiſcopus dicebatur, ſed *Sanctus Senex*.

Et quidem ea forma deſignandi Metropolitas ex urbis Metropolis qualitate prioribus Eccleſiæ ſæculis ſervata eſt. Succeſſione temporum conſtitutis, firmatiſque eccleſiaſticis dignitatibus, conſultum fuit, ut qui ſemel Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus extitiſſet, talis perpetuo eſſet, nec Metropolitica, ſeu Archiepiſcopalis dignitas viciſſitudinibus ſubjaceret. Duplex hujus rei definiendæ fuit cauſſa: prima fuit, ut coërceretur quorundam Epiſcoporum ambitus, qui, ut Archiepiſcopalem dignitatem haberent, totis viribus conabantur, ut ab Imperatoribus impetrarent, urbem, cui præerant, Metropolim creari. Altera fuit, ne ad frequentem civilium jurium mutationem, jura Metropolica Eccleſiarum huc illuc ſæpe tranſferrentur.

Epiſcopi provinciales Archiepiſcopo, ſeu Metropolitæ ſuberant: Archiepiſcopi, ſeu Metropolitæ ſuberant Primati, quemadmodum Primates Patriarchæ, & Patriarchæ omnes Pontifici Maximo. Qui ſuberant, Suffraganei dicti ſunt.

II.

Et caussa, & modus, qua Primatialis, qua Archiepiscopalis, seu Metropoliticæ potestatis, idem fuit, qui potestatis Patriarchalis. Cum Divino jure omnes Episcopi essent potestate pares, uno demto Pontifice Maximo; ut unus Episcopus alteri subjiceretur, utque unus alteri præesset, opus fuit & Pontificis Maximi, & Episcoporum consensione; Pontificis Maximi, cujus intererat, potestatem suam aliis Antistitibus in parte communem fieri; Episcoporum, quorum intererat, alteri Episcopo præter Pontificem Maximum subjici. Hanc consensionem facile elicuit, & expressit publica Ecclesiarum utilitas emergens ex regimine nationum, & provinciarum hoc elegantissimo ordine constituto. Hinc ea potestas ex consensione dimanans eatenus extenditur, quatenus publica utilitas postulet.

Hinc proficiscitur, & Primatum, & Archiepiscoporum, seu Metropolitanorum potestatem, ac dignitatem ex jure positivo ecclesiastico utut antiquissimo originem habuisse; proindeque in hac re derogationibus, & coërcitionibus locum fieri posse.

III.

Seu Primatialis, seu Metropolitica potestas est quædam veluti derivatio æquabilis pote-

ſtatis Pontificis Maximi ita, ut æquabiliter Primas in Eccleſias nationis, Metropolitanus in Eccleſias provinciæ poteſtatem exerceat, quemadmodum Pontifex Maximus in Eccleſias univerſas. Hinc concludi poteſt ad duo ſumma capita exigi & Primatialem, & Metropoliticam poteſtatem. Primum caput eſt, ut Primas gerat negotia, quæ Eccleſias nationis ſpectant univerſas uti univerſas; Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus gerat negotia, quæ Eccleſias provinciæ ſpectant univerſas uti univerſas: alterum caput eſt, ut Primas, item ut Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus ſuppleat defectus, corrigatque exceſſus ſuffraganeorum Antiſtitum. His enim characteribus diſtinguitur Pontificis Maximi auctoritas, quemadmodum notandum fuit ſuperius tit. 2. num. 3. Ad primum caput refertur poteſtas convocandi Epiſcopos nationis ad nationale Concilium, quæ Primati, & convocandi Epiſcopos provinciæ ad provinciale Concilium, quæ Metropolitano, ſeu Archiepiſcopo competit. Ad alterum caput ſpectant jura appellationum, & devolutionum.

Dixi, poteſtatem Primatum, & Metropolitanorum eſſe derivationem poteſtatis Pontificis Maximi *æquabilem*, non æqualem, ut indicarem, non adeo late in natione, aut pro-

provincia patere. Eatenus extenditur, quatenus vel expressa constitutione canonum, vel probatis moribus receptum est, vel etiam concessum singularibus Pontificum Maximorum privilegiis. Hæc eadem forma respectu Patriarcharum constituta est, uti superius notavi tit. 3. num. 2.

IV.

Ut exterioribus etiam symbolis demonstraretur dignitas Archiepiscopalis, & alia Archiepiscopali major, ceu e Pontificatu Maximo derivata; ornamenta ipsa Pontificis Maximi concessa quoque sunt Archiepiscopis, ceterisque majoribus Prælatis. Primum ornamentum fuit, ut incedere possent præeunte cruce intra fines administrationis sibi adsignatæ. Alterum fuit, ut intra eosdem fines pallio decorati incederent. Et quidem pallium non omnibus indiscriminatim ab initio concessum est, sed quibusdam tantum, qui illud enixe peterent, & meritis insignibus commendarentur. Successione temporum petere pallium Archiepiscopi quicumque, eisve majores Prælati debuerunt, ita quidem, ut quousque non peterent, a pluribus Episcopalibus muneribus abstinere cogerentur.

TIT.

TITULUS V.

DE EPISCOPIS.

I.

CUM intellexeris quorum locum in Ecclesia teneant, sive in quorum locum successerint Episcopi, tum intelliges, qui, qualesque Episcopi sint. Paucis rem demonstrat perennis traditio, juxta quam scimus, Episcopos esse successores Apostolorum.

Eleganter Augustinus ita scribebat in Psalmum 44. *Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paullum, quia non vides illos, per quos nata es: De prole tua tibi crevit paternitas: pro patribus nati sunt tibi filii.*

II.

Tria complectitur hæc Apostolica successio: primum est missio: alterum operatio Divinarum virtutum; postremum est regimen, & gubernatio populi christiani. Missio tendit ad prædicationem Evangelii, sive Divinæ doctrinæ & fidei, & morum. Operatio Divinarum

vinarum virtutum exercetur per ministeria Sacramentorum, ac Sacramentalium. Regimen, & gubernatio populi christiani consistit in disciplinæ cultu, & sacra politia. Missio Christi vicarios, operatio Divinarum virtutum Christi ministros, regimen, & gubernatio populi christiani ecclesiasticæ reipublicæ curatores, moderatores, ac duces Episcopos facit. Missio, quæ Vicarios Christi facit, tota Divina est, tota pendet, & modum accipit ex generali Christi mandato. Operatio Divinarum virtutum, quæ facit ministros Christi tota Divina est, & modum accipit ex Divino charactere, qui in ordinatione imprimitur. Regimen, & gubernatio populi christiani, quæ facit ecclesiasticæ reipublicæ curatores, moderatores, ac duces, multa habet juris Divini, quædam etiam cum jure humano etiam gentium communia. Commune gentibus universis est, ut certi sint in societate sacrorum administri, qui populum dirigant, item ut qui dirigunt, prudentia, æquitate singula moderentur; denique ut modus regiminis rationum humanarum vicissitudinibus congruat. Ex jure Divino repetendum est, ut hoc regimen fuerit Divina auctoritate confirmatum, item ut fuerit certo personarum generi commissum, nimirum Apostolis, & iis,

qui

qui Apoſtolis eſſent rite ſucceſſuri. Hanc ob rem hoc regimen electionibus rite factis, & ex generali diſciplina confirmatis adquiri poteſt, in modo adquirendi, in modo exercendi, in modo amittendi, ſuas habet viciſſitudines. Cum omnia rite recteque facta fuerint, Divino jure regimen exercet, qui ad regimen exercendum electus eſt.

Qui vicariatu Chriſti funguntur, tales eſſe nequeunt, niſi Chriſti mandatum acceperint. Hoc mandatum generale fuit a Chriſto datum in Evangelio, ſive cum Apoſtolis dixit: *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*; ſeu cum dixit: *ite in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Miſſio præcipue refertur ad prædicationem Divinæ doctrinæ. Cum enim doctrina Chriſti Divina ſit, non ab alio promulgari poteſt, niſi ab eo, qui eam a Chriſto acceperit, & mandatum prædicationis habuerit, juxta illud Apoſtoli Paulli: *quomodo prædicabunt, niſi mittantur*? Ergo Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores in id ſemper conferre debuerunt operam ſuam, ut non aliam, quam eam, quam à Chriſto accepiſſent, doctrinam prædicarent. Equidem Apoſtoli ipſi in hoc munere errare minime potuerunt, præterquamquod enim ſingulari Divino afflatu pollerent, ipſimet ore-

oretenus a Christo ipso Divinam doctrinam acceperant. Viri apostolici, qui scilicet Apostolos ipsos, quibus successerunt, institutores habuerunt, fuerunt & ipsi testes illorum, quæ viderant, aut audierant. Quo tempora ab apostolica ætate remotiora successerunt, eo sedulius debuit esse studium Episcoporum, quo non aliud, quam quod traditum est, populus doceatur. Studium plane hodie laboriosum, eamque ob rem nihil magis Episcopo dignum est, quam ut ipse & Divinas literas, & Patrum traditiones calleat, quando prædicationis munus præcipuum est inter Episcopalia officia, & ad Divinam ipsam missionis caussam pertinet. Si Divinarum literarum, & traditionum studia negligat, atque ad alias doctrinas sese Episcopus convertat, nec tanquam a Deo missus, nec tanquam Christi Vicarius eloquetur. Non repugnat autem, Episcopos hanc ipsam missionem aliis communem facere, dummodo semper officium hoc exequantur, qui ab Episcopis mandatum acceperint. Consuevit Ecclesia hoc officium majoribus tantum Clericis ceu gravissimum mandare, nimirum Presbyteris, & Diaconis, semper tamen extra ordinem, & cum Episcopus aut impediatur, aut præsto non sit.

Ope-

Operatio Divinarum virtutum, quæ facit Christi ministros in Sacramentis conficiendis, ac conferendis, præcipue Episcoporum est, qui propterea characteris, sive Ordinis sacri plenitudinem habere dicuntur. Ex Sacramentis, quæ ad Sacerdotum ministeria pertinent, nullum est, quod Episcopalem potestatem declinet; quamquam multa sint etiam Presbyteris concessa, quædam etiam Diaconis. Ex eo tamen, quod duorum Sacramentorum collatio, videlicet Ordinis, & Confirmationis Episcopis reservetur, perspicue liquet, Episcopatus Ordinem non a Diaconatu modo, sed & a Presbyteratu esse distinctum. Ut in Ordine Episcopali omnia sacra mysteria, omnesque Divinæ virtutes comprehendi credantur, consecratio Episcoporum ita concepta semper fuit, ut cum Episcopus consecratur, tum dicatur consecratus Spiritu Sancto donari, quod idem est, ac Divina omnia charismata recipere.

Regimen, & gubernatio populi christiani eodem jure conceditur Episcopis, quo gentes omnes idem regimen in præfectis sacrorum agnoscunt. Eam ob rem in Episcopis constituendis admittuntur electiones, suffragia, confirmationes, institutiones: ubi Episcopus jurisdictionem habuerit, hæc ipsa jurisdictio

risdictio ex moribus, ex consuetudinibus, ex privilegiis, ex præscriptionibus modum capit: in jurisdictione exercenda opportuna sunt virorum prudentum consilia, aliaque hujus generis, quæ origine inspecta inventa sunt humanæ prudentiæ, ac sapientiæ, Divina etiam providentia illustratæ, ac confirmatæ.

III.

Ampla hæc Episcoporum potestas suis finibus coërcetur in conspectu potestatis Pontificis Maximi, cui illi Divino jure subsunt. Et quando superius dictum est tit. 2. num. 3. Pontificatum Maximum consistere in duobus summis capitibus, quorum primum est, ea gerere, quæ spectant Ecclesiam universam ut universam; alterum supplere defectus, & corrigere excessus inferiorum Antistitum; Episcopi omnes obsequi omnino, & obtemperare debebunt Pontifici Maximo in iis, quæ Ecclesiam universam ut universam spectant; item pati debebunt, ut cum excesserint, tum a Pontifice Maximo corrigantur; cum defecerint, tum Pontifex Maximus quod agendum ab ipsis fuisset, exerceat. Æquabiliter Episcopi obnoxii sunt Archiepiscopo, seu Metropolitano; quod si Archiepiscopi, seu Metropolitani sint, obnoxii sunt Primati; si Primates sint, obnoxii sunt Patriarchæ; cum digni-

dignitates istæ majores ipsam Pontificis Maximi in multis caussis, & pro virili parte derivatam exerant potestatem, quemadmodum superius dictum est tit. 4. num. 2. & 3.

Ut exempla tradam, Episcopi omnes advocati a Pontifice Maximo ad generale Concilium convenire tenebuntur; sicut & Suffraganei provinciæ ad provinciale Concilium ab Archiepiscopo indictum; item ad nationale, quod Patriarcha, vel Primas indixerit. Item Episcopi inferiores pati tenentur, ut ad superiores fiant devolutiones, atque a sententiis appellationes interponantur.

IV.

Ampla quoque Episcoporum potestas certis finibus coërcita fuit ex utilitate publica in conspectu ceterorum Episcoporum. Utut Divino jure nulli Apostolis, Apostolorumque successoribus præstituti fuerint locorum fines; opportunum tamen duxerunt viri apostolici, ut ad locorum partitionem deveniretur. Dicta fuit hæc divisio diœceseon, qua factum est, ut certa loca singulis Episcopis concederentur, intra quæ potestatem exercerent, extra quæ minime prosilirent. Sic consulebatur utilitati singulorum populorum, quos regere certius Episcopus commode posset. Sic etiam confusionis occasio auferebatur,

ne

ne plures essent, qui in solidum, & æquali jure unum eundemque populum regerent.

In hac diœceseon tributione factum est, ut non in quibuscumque oppidis, aut vicis Episcopi constituerentur, sed in urbibus, aut oppidis frequentioribus, ubi Ecclesia major constitueretur, quam cathedralem a cathedra Episcopi dixerunt. Singulis Episcopis Sacerdotes, Diaconi, aliique Clerici in adjutorium dati, sive in urbe, sive extra urbem, quorum officio utilitati fidelis populi peropportune consuleretur, ita tamen semper, ut summum diœcesis regimen, & plena administratio penes Episcopum esset, omnesque Clerici Episcopo suo obsequerentur, quemadmodum & obsequeretur populus universus. Hinc visitationes Episcopales, cura Synodorum diœcesanarum, delectus ministrorum, cura dispensationis bonorum temporalium, & similia bene multa.

V.

Summa Episcopalis auctoritatis in eo sita est, quod possit Episcopus in sua administratione ea omnia gerere, quæ nec Primatui Pontificis Maximi, nec majorum Antistitum supra se positorum prærogativis officiant; nec aliorum Episcoporum administrationi diœcesanæ detrimentum ingerant, aut diminutio-

nem adferant. Hac ſignificatione paſſim dici ſolet, Epiſcopos habere intentionem fundatam in jure communi, quibus ſcilicet ea omnia liceant, quæ aliis reſervata non deprehendantur.

VI.

Quicumque ad Epiſcopatus honorem promoventur, de quocumque Epiſcopatu agatur, etiam de Maximo Pontificatu, hoc ordine dignitatem obtinent. Primum fit electio, vel actus non abſimilis, qui electioni æquipolleat: ſuccedit confirmatio: ubi quis confirmatus eſt, conſecratur: conſecratione facta nihil aliud ſupereſt, quam in poſſeſſionem inductio.

Electio fit diremtione ſuffragiorum, confirmatio fit decreto illorum, qui præſident, quo decreto conſtet & ſuffragia rite facta fuiſſe, & electum eſſe dignum, atque idoneum. Conſecratio eſt collatio Ordinis Epiſcopalis. Inductio in poſſeſſionem eſt actualis occupatio dignitatis, & jurium Epiſcopalium.

Electio, confirmatio, & inductio in poſſeſſionem ſunt actus, quorum forma ex jure gentium derivata eſt, & origine inſpecta dici poteſt juris humani. Conſecratio tota eſt juris Divini. Inde autem fit, ut electio, confirmatio, & miſſio in poſſeſſionem,

jura

jura etiam universa electionis, & electorum, confirmationis, & confirmatorum, denique captæ, vel capiendæ possessionis modi, & effectus regantur variis moribus nationum, ac subjiciantur certis definitionibus canonum pro adjunctorum varietate dissimilibus; consecratio autem tota regatur jure Divino, eodem modo, quo collatio ceterorum Sacramentorum.

Primum electionis exemplar agnitum est post Christi adscensum ad cœlos in electione S. Matthiæ. Illud exhibet S. Lucas in Actis. Convenit ad electionem tota multitudo, & cum sors super Matthiam cecidisset, Apostoli manum imponentes, eum Episcopum consecraverunt. Divisis provinciis, & diœcesibus, abiit in ordinariam disciplinam, ut clerus, & populus diœcesanus electionem sui Episcopi facerent. Electione facta, totius Provinciæ Episcopi cum Metropolitano ad electionis confirmationem procedebant, & confirmatione secuta, confirmatum ordinabant. Paullatim exclusus est populus ob turbas, quæ identidem concitabantur. Jura populi soli Optimates, ac Proceres exercuerunt. Potissima habita est Principum ratio. Jura etiam totius cleri sensim coërcita fuerunt ad solos clericos cathedrali

Ecclesiæ adscriptos, quos Canonicos vocant. Hæc disciplina dicitur adhuc hodie jus commune Decretalium. Fiebat suffragiorum diremtio: is quem major, & sanior pars elegisset, pro electo habebatur, nisi specialiter certis in casibus cautum esset, ut duas ex tribus partibus concurrere oporteret, ceu in electione Pontificis Maximi, in qua speciale illud receptum est, ut Cardinales vice Capituli cathedralis Ecclesiæ fungantur. Quandoque electio facta fuit per compromissum, videlicet mandato ab eligentibus præbito, ut is, quem certi selecti viri vel omnes, vel major eorundem pars elegissent, pro electo haberetur. Si quidam designaretur, qui dignus quidem esset moribus, & scientia, non tamen esset undecumque idoneus ob certa canonum impedimenta, hæc non electio, sed postulatio dicta est; postulationis autem nomen significat libellum supplicem, quo eligentes rogant superiorem, ut ab impedimento dispenset electum, ejusque electionem facta dispensatione confirmet. Hæc communis juris disciplina recentioribus sæculis immutata pluribus in provinciis est, ob inductas varias reservationes, & ob inita inter Apostolicam Sedem, & religiosos Principes concordata.

Con-

Confirmatio electionis, aut postulationis admissio ex juris communis disciplina a proximo superiore petebatur, nimirum ab Archiepiscopo si de Episcopo, a Primate si de Archiepiscopo, aliquando etiam a provinciali Concilio petebatur. Idem dixeris de Primate respectu Patriarchæ, & de Patriarcha respectu Pontificis Maximi. In Ecclesia Romana, quæ maxima omnium, & Princeps est, electio confirmatione non indiguit. Electio ipsa confirmationis locum tenet. Passim in consensu plurium Antistitum merita electi, vel postulati discutiebantur, confirmabatur electio, postulatio admittebatur.

Consecratio fiebat a Metropolitano, si de Episcopo ageretur, & quidem in consessu Suffraganeorum; quod si de Metropolitano ipso consecrando ageretur, senior ex comprovincialibus in consessu ceterorum Archiepiscopum ordinabat, ut plurimum ex Primatis, vel Patriarchæ mandato. Vestigium hujus disciplinæ adhuc hodie dignoscitur in eo, quod tres Episcopi ad consecrationem Episcopalem conveniunt.

Consecratus Episcopus certiores reddebat Episcopos plures consecrationis suæ, ut plurimum ipsum etiam Pontificem Maximum, præsertim si de majore Episcopo, ceu

Primate, aut Patriarcha ageretur. Mittebat suam fidei orthodoxæ professionem, certaque officii sui testimonia exhibebat. In diœcesim adveniens, populo toti se gratiosum muneris exercitione gerebat.

Ex consecratione eam facultatem Episcopus consequitur, quæ pendet ex Ordine Episcopali. Cetera, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, & jurisdictionis esse dicuntur, ex jure Decretalium pendent ex electione confirmata.

VII.

Quandoque Episcopi de una in aliam Ecclesiam transferuntur: equidem olim translationes istæ canonibus improbabantur, & pene æquiparabantur reordinationi, vel rebaptizationi, can. 107. de consecrat. dist. 4. Ambitus nonnullorum Episcoporum ad majores Ecclesias anhelantium severiori interdicto caussam dedit. Ubi dispensandum a censura canonum esset, voluit Innocentius III., auctoritatem Pontificis Maximi desiderari in cap. 2. de translat. Episc., qualiscumque tandem in hoc rescripto ratio adjecta fuerit. Ubi translatio fit, Episcopus postulatur, confirmatio, sive admissio postulationis accedit. Admissa postulatione, cum Episcopus nova consecratione non indigeat, nihil aliud superest, quam in possessionem immissio.

VIII.

VIII.

Munus Epiſcopale perpetuum eſt: proinde nec ſine cauſſa Eccleſia poteſt Epiſcopum dimittere, nec ſine cauſſa poteſt Epiſcopus Eccleſiam abdicare. Ubi juſta cauſſa intercedat, ſuperioris judicium eſt, qui dimiſſionem, aut renunciationem adprobet.

TITULUS VI.

DE PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS.

I.

PRÆLATIS infra Epiſcopos conſtituendis cauſſam dederunt privilegia, pactiones legitima auctoritate comprobatæ, præſcriptiones, conſuetudines, mandata, & alia hujus generis ſingularia jura.

Agitur in hac re non de poteſtate Ordinis Epiſcopalis, ſed de ea, quæ dicitur poteſtas juriſdictionis, diſtincta plane a muneribus Ordinis. Porro juriſdictio ſacrorum, utut jure Divino confirmata in perſonis Epiſcoporum, longe tamen antiquior eſt Divinis poſitivis inſtitutionibus; atque ita Divino jure relicta fuit, ut viciſſitudinibus ſubjaceret, atque ex moribus, placitiſque probabilibus modum accipere valeret.

II.

Privilegia in primis certos ſingulares Prælatos conſtituerunt. Quid enim, ſi Pontifex Maximus certo generi fidelium Prælatum quendam cauſſa ſacri regiminis præpoſuerit, ad quem ſalvis juribus Ordinis Epiſcopalis, regimen in ceteris pertineret? Quid ſi Epiſcopus ipſe quemquam ſimili privilegio in diœceſi ſua donaviſſet?

Privilegia hujus generis deprehenduntur in monaſteriis, & in Eccleſiis pluribus conventualibus.

III.

Pactiones quoque legitima auctoritate confirmatæ Prælatos conſtituerunt. Quid enim, ſiquis conventualem Eccleſiam dote adſignata erexiſſet, ea lege, ut in ea Prælatus non Epiſcopus deſignaretur cum certa juriſdictione; & legem hanc ratam habuiſſent Epiſcopi, aut Pontifex Maximus? Quid ſi inter certum clericum, & Epiſcopum controverſia ſuborta de certis juriſdictionis capitibus vel exercendis, vel non exercendis, tranſactione fuiſſet compoſita ita, ut clerico eidem certæ juriſdictionis ſpecies concederentur?

IV.

Præſcriptiones, ac conſuetudines, dummodo juſtæ, legitimæque eandem vim habent

ac

ac privilegia, & pacta, aut saltem in rebus antiquis docent, verisimile esse, olim vel pactum, vel privilegium intercessisse. Iccirco his titulis rite utuntur, qui certam sibi vindicant jurisdictionem.

V.

Cum Episcopi ea, quæ jurisdictionis sunt, mandare alteri etiam non Episcopo possint, identidem conspiciuntur Prælati, qui ex mandato jurisdictionem explicant.

Hujus generis olim fuerunt in cathedralibus Ecclesiis Archipresbyteri, Archidiaconi, Primicerii, atque his similes: hodie sunt Officiales Episcoporum, Vicarii Generales, aut Foranei.

VI.

Quando hi omnes, hisque similes tituli, singulares sunt, nemo ex inferioribus Prælatis non aliam, neque majorem potestatem explicare potest, nisi eam, quam singulari titulo se adquisivisse demonstret. Imo & ii tituli singulares, quicumque allegentur, angustam interpretationem patiuntur, ita ut non facile de una ad aliam speciem, ne prætextu quidem similitudinis, extendantur.

Sic dici solet, in regimine Ecclesiæ Episcopos habere intentionem in jure communi fundatam; quod idem est, ac dicere,

nunquam

nunquam a Prælato inferiori Episcopum excludi, nunquam Prælatum inferiorem cum Episcopo etiam concurrere posse, nisi Prælatus inferior perspicuis argumentis doceat, se facultatem nactum fuisse aut Episcopum excludendi, aut cum Episcopo concurrendi.

VII.

Prælatorum inferiorum, quocumque nomine appellentur, duo genera sunt; alii enim dicuntur *nullius diœcesis*, alii sunt in diœcesi Episcopi constituti. Qui nullius diœcesis sunt Episcopi potestati ordinario jure, & generaliter minime subjacent. Qui in diœcesi constituti sunt, modo singulari privilegio ab Episcopi potestate exemti fuerunt, alterique majori Prælato, ceu Pontifici Maximo immediate subjecti, modo omnino subjiciuntur potestati Episcoporum.

Nullius diœcesis dicuntur Prælati, quoties certa loca separata omnino fuerunt a diœcesi Episcopali, habenturque potius tanquam diœcesi Episcopali contermina; in his autem præpositus est Prælatus non Episcopus præditus ordinaria jurisdictione sacrorum. Habenda quidem fuit ratio finitimi Episcopi, ubi de iis ageretur, quæ sint Ordinis Episcopalis, qualis est ordinatio Clericorum, & similia. In ceteris, quæ ad jurisdictionem pertinent,

ampla

ampla eſt horum Prælatorum facultas, niſi etiam quandoque coërcita aut legibus, aut mandatis fuerit, ceu cum ex. gr. quidam Prælati etiam nullius nequeunt Synodum celebrare, & tenentur ad cujuſdam finitimi Epiſcopi Synodum convenire. Hinc Prælati *nullius* duplici in ſpecie ſunt, quorum alii proprie *nullius* appellantur, propter eaquod univerſa juriſdictionis munera tuto exercere valeant; alii improprie tales ſint, propter eaquod non in iis modo, quæ Ordinis, ſed & in quibuſdam, quæ juriſdictionis ſunt, a certo Epiſcopo pendeant.

In eos, qui ſunt in diœceſi, nec exemtionis privilegium habent, Epiſcopus libere juriſdictionem exercet, tantum pati debet, ut quas juriſdictionis ſpecies adquiſiverunt, eas illi exerceant, dummodo ſine fraude.

Qui exemti ab Epiſcopali juriſdictione ſunt, & libere poteſtatem ſuam explicant ſingularibus titulis adquiſitam, & rite poteſtatem Epiſcopalem evadunt, niſi qua in parte utilitas publica Eccleſiarum ſuaſit, ut certa ſollicitudo Epiſcopis reſervaretur, aut priſtina juriſdictio reſtitueretur. Ut plurimum exemti eſſe ſolent Prælati Regularium, & Monachorum. In hac re horum privilegia ſollertiſſime inquirenda, ne facile de una in

aliam

aliam speciem extendantur; item investigandum, prout controversiæ incidunt, an novis constitutionibus bono publico Ecclesiæ editis certus modus privilegiis adjectus fuerit.

VIII.

Quamquam in certis Prælatorum inferiorum generibus certus clericalis Ordo requireretur, ac requiratur, qui primigeniæ institutioni respondeat, quemadmodum contingit in Archipresbyteris, qui Ordine presbyterali, in Archidiaconis, qui Ordine diaconali insigniti esse debuerunt; multos tamen Prælatos non Ordo distinxit, sed sola dignitas, solumque munus & in sede collocavit, & jurisdictione donavit. Eam ob rem non semper consecrantur, sed electione designantur, cumque electio confirmata fuerit, tum dignitatem obtinuisse videntur. Aliquando ab Episcopis ipsi instituuntur, aliquando etiam ab Episcopo iis benedicitur, statis quibusdam cœremoniariis precibus.

Non aliter res se se habere olim poterat in Prælatis monasteriorum, quo tempore monachi, imo nec ipsi monachorum præfecti clericali Ordine insigniti non erant. His nihilominus jurisdictio concedebatur. Satis erat, si diu fuissent in monasterio probati, & secuta vestium mutatione, ac tonsione professi.

fessi. Cum vestium mutatio, ac capillorum tonsio olim monachorum propria, in clerum traducta fuerit, receptumque, ut clero adscriptus diceretur, quicumque fuisset Episcopali munere prima, uti vocant, tonsura initiatus, recipi quoque debuit, ut non repugnaret, vel illos ipsos, qui clericali tonsura clero adscripti essent Episcopi auctoritate, ad Prælaturas evehi posse, ubi aliud non obsisteret, concessa etiam ecclesiastica jurisdictione, ne minor ratio haberetur clericæ, quam monasticæ tonsuræ.

TITULUS VII.

DE PAROCHIS.

I.

CUM primum Episcopi singulis urbibus dati sunt, atque in adjutorium Episcoporum in civitatensi Ecclesia ministri plures, præsertim Presbyteri, designati; consueverunt Episcopi Presbyteros adjutores suos mittere extra ordinem in oppida, pagos, & vicos diœcesanos, ut fidem docerent, regulas morum traderent, Sacramenta fidelibus administrarent, ita tamen, ut expleto officio, ad cathedralem Ecclesiam, cui adscripti fuerant, reverterentur.

Sacer-

Sacerdotes isti eam ob rem appellabantur a Græcis *Periodeutæ*, ideſt Circuitores, ſeu Circumcurſatores.

II.

Nonniſi ſerius, ideſt ſub finem ſæculi Eccleſiæ quarti, vel ſub initium quinti, miſſi fuerunt ab Epiſcopis in pagos, oppida, & vicos Sacerdotes, qui in iis perpetuo mererent, & ordinario jure ſacra facerent, exemplo veterum, qui extra ordinem mittebantur. Tum erectæ fuerunt Eccleſiæ, ſeu templa publica; certi quoque ſingulis Presbyteris adſignati fines, ne unus alterum in officio turbaret. Hæc forma fuit, & origo Parochorum, & Parochialium Eccleſiarum.

III.

Tota ergo Parochorum poteſtas, univerſa officia modum ſuum accipiunt ex mandatis veteribus Epiſcoporum. Quid olim mandatum fuerit, Eccleſiarum longa, & non interrupta conſuetudo demonſtrat. Certe juriſdictio ſacrorum, & regimen in quacumque Parochiali Eccleſia Epiſcopo reſervata fuit: ab iis, quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt, Parochi abſtinere omnino debent. Horum proprium eſt, populum intra fines Parochiæ conſtitutum paſcere verbo Dei, & Sacramentis munire. Siqui in Parochorum adjutorium Epiſcopali auctoritate

tate Ecclesiis Parochialibus adscripti sunt clerici, horum munera, & officia universa Episcopus diriget, ac tribuet, prout magis expedire judicaverit.

IV.

Apud veteres Corepiscoporum mentio fit. Horum munus non erat a Parochorum munere distinctum. Græca est appellatio, qua significabatur, eos esse villarum, seu rurium Episcopos, idest vigiles administratores. Quandoque isti fuerunt Episcopali Ordine insigniti, & consensu dioecesani Episcopi ea, quæ sunt Episcopalis Ordinis, exercebant, quod potissimum usu veniebat, ubi quidam Episcopi a suis Sedibus inique ejecti, in aliorum Antistitum dioecesim se recipiebant. Boni Antistites profugis Episcopis certum populum regendum committebant, amplioribus datis facultatibus, quam si regimen Presbyteris committeretur. Firmata Ecclesiarum pace, infrequens esse cœpit, Episcopos in hoc officium adsumi. Canones Sardicensis Concilii, quibus decretum est, ut tantum singulis in urbibus singuli Episcopi constituerentur, occasionem præbuerunt, ut in villulis, & pagis nullus amplius constitueretur, qui Episcopali Ordine insignitus esset.

Cum

Cum hoc Corepiſcoporum genere non eſt confundendum genus aliud Corepiſcoporum, quod emerſit ſæculo Eccleſiæ nono, viris probis, & ſacris canonibus improbatum. Quidam Epiſcopi de honoribus, juribus, & proventibus Epiſcopalibus ſibi maxime complacebant: Epiſcopalia officia, & munera penitus negligebant. Ne cathedrales Eccleſiæ Paſtoralibus officiis deſtituerentur, curabant, ut Vicarius quidam Epiſcopus ordinaretur. Hunc Corepiſcopum appellabant. Lues hæc fuit in Eccleſia teterrima, vix ferreis ſæculis emerſit, ſtatim damnata.

V.

Itaque Parochi ſunt adjutores Epiſcoporum & quidem in ea Epiſcopalis ſollicitudinis parte, quæ graviſſima cenſeri debet, qualis eſt cura animarum. Quod ipſi adjutores Epiſcoporum ſint, ſemper verum fuit ordinariam Parochorum inſtitutionem ad Epiſcoporum officium pertinere. Quod graviſſimam Epiſcopalis officii partem exequantur, mandatum ſemper fuit, ut ad id munus viri optimi, & undecumque pares deſignarentur. Ut res ex voto conſtantiſſime cederet, in Concilio Tridentino definiendum fuit, ut concurſus fere indiceretur, & diſcuſſis examinatorum in Synodo deſignatorum ſuffragiis, optimus quiſque ſeligeretur. *TIT.*

TITULUS VIII.

DE CLERICIS OMNIBUS,

Prout ex Ordine distinguuntur.

I.

ORdo clericalis a Christo institutus, veluti Sacramentum illud, a quo pendeant Divina mysteria, & Divinarum virtutum operationes, suos habet distinctos gradus, ex quibus universis constat tota ecclesiastica hierarchia, & in unum eximium, ac præstans corpus coalescit. Ordinis hujus veluti apex, & cumulus in Episcopatu est; sed per Episcopatum derivatur in varias classes. Perennis Ecclesiarum traditio in Tridentino Concilio denique comprobata, ac confirmata docet, sacram hierarchiam constare ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris.

II.

Qui, qualesque Episcopi sint, principia superius jacta demonstrant. Divinam Presbyterorum institutionem & sacræ literæ, & perennis traditio docet, ipsa etiam exhibet per se potestas presbyteralis, quæ Divinas virtutes in Sacramentis operatur, & quæ proinde non potest esse nisi Divina. Ministros in institutione, ac designatione Diaconorum apo-

ſtolica agnitos in prima Eccleſiæ chriſtianæ origine, tradidit S. Lucas in Actis. Ubi in Eccleſias elegantior quædam forma induci potuit, amplior facta fuit miniſteriorum tributio. Hanc ob rem iſti hodie numerantur Ordinis gradus: nimirum Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus.

Quandoque in quibuſdam Eccleſiis alii gradus recepti ſunt, veluti Cantorum, & Pſalmiſtarum; ſed hodie hi gradus vix agnoſcuntur, proptereaquod Cantorum, & Pſalmiſtarum officium redditum commune ſine diſcrimine fuit univerſis.

Quatuor priores Ordines, Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus majores dicti ſunt, & ſacri; quatuor poſteriores dicti ſunt minores, & non adeo ſacri; ex quo factum eſt, ut venia facilis concederetur recedendi ab officio illis, qui in minoribus Ordinibus conſtituti eſſent. Serius, & nonniſi a ſæculo decimotertio Subdiaconatus relatus eſt inter majores, & ſacros, præſertim ex eo, quod jamdiu Subdiaconis lex ſervandæ continentiæ immineret.

Interfuit ſemper viros idoneos, & dignos pro modo uniuſcujuſque gradus ad eos

gradus

gradus adſumi. Certæ in id leges editæ ſunt, quibus aut certa impedimenta ſtatuerentur, quæ obicem ordinationi facerent, aut qualitates deſignarentur, quæ dignum, & idoneum commendarent. Qui idonei non eſſent, aut quomodocumque impediti, recentiore ætate dicti ſunt *irregulares*; impedimentum autem ipſum dictum fuit *irregularitas*, quaſi contra regulas, ſive canones.

Debuerunt quoque ordinandi diu probari in Eccleſia. Hinc cautum, ut nemo ad Ordines quoſcumque promoveretur, niſi etiam mutatione habitus clerico dignam morum integritatem profiteretur, & quidem apud Epiſcopum, a quo etiam ſtato ſolenni ritu & tonderetur, & veſtes clericales acciperet. Hæc clerici inauguratio dicitur *prima tonſura*, & diſpoſitio quædam eſt ad ſuſcipiendos Ordines. Interea qui in hoc veluti tyrocinio eſt, ſacram jam militiam induiſſe creditur, clericorum numero adcenſetur, & clericorum juribus æque ac privilegiis gaudet, quoties omnia rite facta fuerint, & ſine fraude.

III.

Ordinatio clericorum, quicunque illi ſint, jure ordinario ad diœceſanum Epiſcopum pertinet. In hoc exequendo munere ſollicitus eſſe Epiſcopus debet, ut tot miniſtros eligat,

non plures, non pauciores, quot Ecclesiarum necessitas, vel utilitas ordinari postulet. Ubi enim pauciores sint, non facile utilitati publicæ consuletur: ubi plures otiosis clericis, proindeque improbis Ecclesia gravabitur. Intererit quoque inquirere in redditus Ecclesiarum, ut non plures ordinentur, quam redditibus Ecclesiarum sustentari valeant. Si Ecclesiæ pauperes sint, & pluribus ministris indigeant, tunc ordinandi facile erunt, qui se exhibeant, data fide, ut ipsi vel omnino suis stipendiis militent, vel de suo suppleant, quod stipendiis ecclesiasticis deest. Hanc hodie vocant ordinationem titulo patrimonii factam. Semper vero quicumque clerici ordinantur, certis Ecclesiis adscribendi sunt, in quibus sacrum munus exerceant.

IV.

Singularia, quæ unicuique gradui competunt, officia non aliunde clarius, quam ex formula ordinationis deprehenduntur. Ordinationis formulas recentiores exhibent hodierna Pontificalia. Cum his formulis etiam consonant veteres relatæ a Gratiano in dist. 23. can. 7. 8. 11. 15. 16. 17. 18. & 19. Paucis dixero, Ostiariis custodiam Ecclesiæ committi; Lectoribus sacras lectiones in Ecclesia mandari; Exorcistas juberi, ut exorcismis

cate-

catechumenos, five energumenos præparent; Acolythis curam luminarium, & vini ad missarum sacrificia dari; Subdiaconos manum adjutricem porrigere debere Diaconis in ministerio; Diaconos in subsidium advocari Presbyterorum, ut ad sacram mensam administrent, jussu Presbyteri Eucharistiam dispensent, atque etiam, ubi opus, solenniter baptizent; Presbyteri præter solenne Baptisma, etiam Eucharistiam conficiunt, Sacramentum Pœnitentiæ administrant, infirmos ungunt, & nuptiis benedicunt. Episcopi denique omnia Divina mysteria conficiunt, proprio jure baptizatos confirmant, & Ordines conferunt.

Multa de his Ordinis gradibus scholastici disputant; nimirum an singuli Sacramenta sint, an singuli distinctum imprimant characterem, & similia. Sine fructu tempus, & laborem insumunt de his disputantes. Certum illud est, singulos hosce gradus hierarchiam constituere. In hierarchiæ constitutione Sacramentum Ordinis a Christo institutum agnosci; Sacramentum Ordinis characterem imprimere, nec repeti amplius posse semel factam collationem. Cum hæc animo teneantur, tum satis erit studiis utilibus factum,

V.

Olim qui ad unum gradum promovebatur, non ideo censebatur advocatus ad superiores: tantum, ubi superior Ordine eligendus erat, quandoque ex inferioribus Ordinibus eligebatur, is nimirum, qui magis dignus, & idoneus videretur. Nemo conquerebatur, quod diu, quod etiam perpetuo in Ordine inferiore semel suscepto ministraret. Contentus munere suo, quisque officium exequebatur. Ita res sese habebat, quemadmodum hodie sese habet, ubi Episcopus eligendus sit. Inter Presbyteros Episcopus eligitur; non ideo tamen quis Presbyter ordinatur, ut Episcopatum deinde obtineat. Hodie in Ordinibus Episcopatu inferioribus alia invaluit disciplina. Qui in inferioribus gradibus ordinatur, eo consilio ordinatur, ut, nisi aliud obsit, ad superiores gradus ascendat, donec in Sacerdotio conquiescat. Prima occasio hujus disciplinæ orta est ex eo, quod canonibus, non adeo tamen antiquis, cautum fuerit neminem provehi ad gradus superiores, nisi fuerit in Ecclesia in inferioribus apprime exercitatus, atque probatus, quod factum initio fuit, ne imperiti, & rerum clericalium ignari statim ad summum Pontificatum prosilirent. Altera occasio fuit, quod officia minorum Ordinum non

adeo

adeo reſervata certis clericis temporum lapſu fuerint, ſed aliis reddita communia, quandoque etiam ſine diſcrimine, cum de minoribus Ordinibus ageretur.

TITULUS IX.

DE CLERICIS,

Prout ex officiis, ſeu beneficiis diſtinguuntur.

I.

ADaucta populi chriſtiani multitudo, adauctus numerus Eccleſiarum in cauſſa olim fuit, ut Epiſcopi ſub Pontifice Maximo conſtituti, ceteroquin Ordine pares, officiis, & beneficiis diſtinguerentur. Inde conſtituti Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, Primates, Patriarchæ. Idipſum contigit in clericis univerſis ſub Epiſcopo Eccleſiæ miniſtrantibus. Quos Ordo pares fecerat, officia, & beneficia diſtinxerunt. Non amplius heic memoro ſingularia officia Parochorum, utpote de quibus jam ſermonem inſtitui. Tantum dicam Parochis Sacerdotes omnes pares eſſe Ordine, quædam tamen fuiſſe ſacerdotalia munera Parochis reſervata. Extra parochiales Eccleſias certa quoque munera demandata ſunt certis clericorum perſonis, quaſi

non tam Ordini, quam designationi muneris cohærerent.

II.

In Ecclesiis cathedralibus cum plures designati fuissent Sacerdotes, qui in sacris ministeriis operam darent in Episcopi adjutorium, utile visum fuit, illis præficere Sacerdotem unum, quem Archipresbyterum nominaverunt. Eadem ratione Diaconis præfectus est unus sub nomine Archidiaconi, Notariis unus sub nomine Primicerii, scholæ Cantorum unus, vel plures invectis nominibus Cantorum, Præcentorum, Succentorum. Cum juniores clerici essent in disciplinis, sacrisque literis erudiendi constituti sunt Præceptores, quos modo Magistros, modo Theologos, modo generali nomine Scholasticos appellaverunt. Erat in cathedralibus singulis seligendus Sacerdos, ad cujus specialem curam spectaret animarum curam habere in plebe. Hunc Plebanum nuncupaverunt. Quandoque expediebat, ut vita Episcoporum undecumque spectabilis esset, atque ab omni suspicione aliena. Comites dabantur Episcopo, qui de ejus moribus quotidianum testimonium ferre possent. Comites istos, ac testes una cum Episcopo habitantes, dicti fuere Syncelli apud Græcos. Cum clerici cathe-

dralis

dralis Ecclesiæ in communem vitam coiverunt, designandi fuerunt, qui collegio præessent. Hos dixerunt Abbates, Priores, Præpositos, Decanos. Cura ecclesiastici peculii alicui erat demandanda, ne Episcopus temporalibus curis a sacris majoribus officiis distraheretur. Iccirco constituti Œconomi, Curatores, Syndici. Supplices libelli Episcopo cum offerendi fuissent, edendaque responsa, tum huic muneri præfectus est Cancellarius. Ut peculium, & suppellectilia sacra ad Divinum cultum destinata custodirentur, designata sunt officia Thesaurariorum, Custodum, Sacristarum. Ut ad tribunal Pœnitentiæ accedentibus præsto Sacerdos esset, Pœnitentiarius constitutus est. Singulis præstitutum fuit, ut eo Ordine quisque insigniretur, qui officio congrueret.

III.

Quod in cathedralibus Ecclesiis tributione facta statutum fuerat, facile traductum est ad Ecclesias quascumque conventuales, modo in totum, modo quadam in parte, prout loci qualitas, & Ecclesiæ dignitas postularet.

IV.

Hinc prodiit partitio dignitatum, personatuum, officiorum, & canonicatuum simplicium. Dignitates dictæ sunt illa officia, quibus

quibus certa concessa est in quasdam personas jurisdictio. Ubi tantum prærogativa loci, & sedis sine jurisdictione data est, ibi dictus est personatus: si absque jurisdictione, & absque prærogativa loci, & sedis speciale quoddam munus mandatum sit, officium appellatum est. Ceteri, qui sine jurisdictione, sine prærogativa loci, & sedis, & in communi officio constituti sunt, ii Canonicorum nomen habuerunt, quasi consignatorum in canone, sive matricula Ecclesiæ.

Multa hujus generis ad cathedrales, & conventuales Ecclesias traducta sunt ex disciplina monasteriorum, in quibus Monachi ex officio, non ex Ordine distinguebantur.

V.

In Ecclesiis non conventualibus totidem fere officia constituta sunt, quot beneficia erecta. Singulares fundationum tabulæ officia quæque, & beneficia distinguunt. Optandum semper est, ut nemo ex clericis sine certo officio sit. Utinam nunquam extiterint, qui nomine officii clericalis venire scripsissent unius, ut vocant, Breviarii recitationem. Certe omnium clericorum officium generale est, Episcopos, & animarum rectores consilio, atque opera pro virili parte adjuvare, quamquam recentioribus sæculis præcipuas consilii partes sibi

ſibi vindicaverint Capitula Eccleſiarum cathedralium, quæ ideo dicuntur unum quodammodo corpus cum Epiſcopo conſtituere.

V I.

Officiorum clericalium tributio ex Epiſcoporum auctoritate facta olim fuit. Hæc poteſtas perpetua fuiſſe dignoſcitur. Eſt enim portio gravis eccleſiaſtici regiminis, quæ Apoſtolorum ſucceſſoribus maxime congruit. Inde fluit evectionem beneficiorum, atque inſtitutionem beneficiariorum Epiſcopis ordinario jure competere.

TITULUS X.

DE MONACHIS.

I.

NOMEN Monachorum græcum eſt, & ſignificat eos, qui in receſſu, & ſolitudine degunt, intenti in contemplationem rerum Divinarum. Horum origo eſt antiquiſſima; conſueverunt enim chriſtiani primis Eccleſiæ ſæculis, ubi præſertim ab ethnicis vexarentur, latebras quærere, ibidemque rerum cœleſtium ſtudio vacare, ſpretis curis temporalibus, niſi de iis ageretur, qui clero adſcripti laborioſam vitam in urbibus, lociſque frequentibus ducebant inter prædicationes,

nes, atque doctrinas, aut nisi de iis ageretur, qui parati erant ad martyrium, & vexationes patientissime tolerandas.

II.

Ut de iis sileam, qui vitæ monasticæ prætextu fraudes, & improbitatem simulabant, triplex fuit Monachorum genus. Alii soli in sylvis merebant, arbitrio suo, & voluntati penitus indulgentes; isti dicebantur Eremitæ, idest loca erema incolentes. Alii adscitis sociis communem vitam ducebant, sese committentes regimini unius sub nomine Abbatis, sive Patris, aut Præpositi. Hi dicebantur Cœnobitæ, quasi in Cœnobio viventes. Alii denique diu in Cœnobio probati, perfectioris vitæ ineundæ caussa, petita, obtentaque ab Abbate, seu Præposito facultate in erema loca sese recipiebant, & solitudinem profitebantur: hi dicebantur Anachoritæ.

Multos ex his Monachis aluit Ægyptus vetustis Ecclesiæ sæculis; qua in provincia multi sanctitate, & virtutibus omnigenis conspicui floruerunt.

III.

Non tunc unitas, aut similitudo vestium, non eadem regula, non certa, & conceptis formulis edita professio Monachum faciebat. Pro veste erat habitus utcumque, dummodo

ad

ad modeſtiam, compoſitus. Pro regula erat Præpoſiti conſilium, aut cum Præpoſitus deeſſet, honeſtas ipſa, & ſanctimonia vitæ, contemplatio aſſidua rerum Divinarum, & in bonis operibus jugis exercitatio. Vicem profeſſionis tenebat maturum propoſitum, a quo cum quis recederet, non de apoſtaſia, ſed de culpabili inconſtantia redargueretur. Nullus inter ipſos erat clericus, niſi forte Epiſcopi arbitrio quidam ordinaretur ad hierarchicam monaſterii curam. Si quis Sacerdotio dignus eſſet, potius ad Eccleſias advocabatur. Cum Sacramentis opus Monachi haberent, aut certis diebus ad Eccleſiam conveniebant, aut ab Epiſcopo miſſione ſacrorum adminiſtrorum recreabantur. Studiis Divinarum literarum ſæpe vacabant. Utinam nunquam privata ſcientia inflati ſimplicium fidem turbaviſſent, quod eveniſſe quarto Eccleſiæ ſæculo hiſtoria eccleſiaſtica docet.

IV.

Primus in Occidente formam certam Monachis dedit S. Benedictus ſæculo Eccleſiæ ſexto. Certam regulam ipſe compoſuit, quamquam monaſterio, cui ipſe præerat, ſingularem. Benedictum alii ſecuti ſunt; tum vero & habitus ſimilitudo, & ejuſdem regulæ profeſſio, & in monaſtica vita perpetuo conſiſtendi

ſtendi firmum propoſitum Monachos faciebat. Hinc inducta ante profeſſionem tyrocinia, certæ datæ Abbatibus, ſive monaſteriorum Præfectis poteſtates. Studia Divinarum literarum, contemplatio cœleſtium rerum vitam monaſticam diſtinguebant; corpus vigiliis, & labore manuum exercebatur. Sic Monachi omnes facile in vitam cœnobiticam coaluerunt.

V.

Interea Monachi erant laici; attamen cum vita illorum eſſet a ſæcularibus curis omnino aliena, & ſecreta, voluit Juſtinianus Imperator, ut in ſingularem curam, ac ſollicitudinem Epiſcoporum & Monachi, & monaſteria reciperentur. Relicta Abbatibus, & monaſteriorum Præfectis ea poteſtate, quæ ſimilis eſſet paternæ in regenda familia, quidquid juriſdictionis erat, publicique regiminis, id totum in Epiſcopos collatum eſt.

VI.

Viſi ſibi ſunt Epiſcopi eandem ipſam valere ſe in Monachos, & monaſteria explicare poteſtatem, qualem in clericos, & Eccleſias explicabant. Erectis ad monaſteria Eccleſiolis, non ſolum conſtituebant in illis Sacerdotes ſacra peracturos, ſed etiam Epiſcopi ipſi ad illas ſacra ſolennia indicebant certis fe-

ſtis

ſtis diebus, & iccirco frequentia populi quies, & ſolitudo Monachorum in eremis locis degentium turbabatur, Monachos ſæpe a monaſteriis avocabant irrequiſitis Abbatibus, ut eos Eccleſiis adſcriberent, unde nonnihil recto monaſteriorum regimini detrahebatur. Redditus monaſterii ſibi magna in parte vindicabant in Monachorum diſpendium. Gregorius Magnus, qui & Monachus olim extiterat, harum rerum apprime conſcius, initio ſeptimi ſæculi hæc Epiſcoporum facta coërcuit, juſſitque, ut Sacerdos quidem Epiſcopali auctoritate ad Monachorum ſubſidium conſtitueretur in Cœnobiis, ſed Epiſcopi abſtinerent a Miſſis ſolennibus, a figenda Epiſcopali ſede, ab avocandis Monachis irrequiſito Abbate, & a bonorum monaſterii derivatione. Prima hæc fuerunt monaſticarum exemtionum initia, quibus ceteroquin attentis, multa adhuc erant capita juriſdictionis, quam Epiſcopi in Monachos, & monaſteria exercebant.

VII.

Interea cum nova monaſteria in dies erigerentur, fundatores ipſi curabant, ut ab Epiſcoporum poteſtate eximerentur. Exemtionem hanc Epiſcopi ipſi ſuis decretis confirmaverunt; modo confirmaverunt, ratamque habue-

habuerunt majores Antiſtites, ipſe etiam Pontifex Maximus. Nondum tamen generalis exemtio erat: ſingularia monaſteria ſingulares exemtionis titulos, & modos exhibebant.

VIII.

A ſæculo Eccleſiæ undecimo cum mores eſſent in Eccleſia corruptiſſimi, inceſſit probos omnes ſtudium, ut homines ad literarum Divinarum ſtudia, atque ad pietatis opera excitarentur. Hinc novi diverſis editis regulis erecti ſunt Monachorum ordines; quod & clericis occaſionem præbuit, ut æquabilem vitam inirent inſtitutis collegiis. Ordinum monaſticorum inſtitutio tam multiplex fuit, ut tandem decernere oportuerit, ne irrequiſito Pontifice Maximo novi Monachorum Ordines inſtituerentur. Id cavit Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. in cap. ult. de relig. domib. An exitus voto reſponderit, rerum inde geſtarum experientia patefecit.

IX.

Interea ad cleri ſubſidium Monachi e ſylvis, eremiſque locis, ad urbes, atque ad oppida etiam frequentiora migrarunt. Ibidem conſtituta Cœnobia; Monachi ſacris Ordinibus initiati certam cleri partem conſtituere cœperunt, erectis ad monaſteria publicis tem-

plis

plis, ad quæ fideles sacrorum caussa convenirent. Qui in locis eremis adhuc degebant villarum, & pagorum curam ecclesiasticam receperunt, etiam suscepto parochiali officio, atque, ubi ampli essent monasterii, & prædiorum monasticorum fines, recepto officio pene Episcopali. Faciles initio fuerunt Episcopi in indulgendis officiis; postquam vero Monachi exemtionis privilegiis se communiri curarunt; serius Episcopi agnoverunt, diœcesana jura plurimum imminui debuisse. Cum ad Concilium Tridentinum deventum est, auditæ sunt Episcoporum, & cleri querimoniæ. Multa in eo Concilio Episcopis restituta sunt; aliqua restituta recentioribus sæculis ex constitutionibus Pontificum Maximorum, quibus coërcita sunt privilegia exemtionum.

Quod de Monachis dictum est, idipsum intelligitur de Clericis pluribus Regularibus, qui recentioribus sæculis collegia erexerunt instar monasteriorum, junctaque vita clericali, & monastica privilegia exemtionum impetraverunt.

X.

Ea, in quibus hodie Monachi, ac Regulares omnes distinguuntur, sunt præcipue vota solennia servandæ perpetuo continentiæ,

paupertatis, & obedientiæ erga eum, qui Præpositus Cœnobio sit. Quidam etiam Ordines sunt, qui paupertatem in communi profitentur, atque mendicata stipe alimenta quærunt. Exterioris quoque habitus forma singulos Ordines distinguit. Nemo ad professionem admittitur, nisi rite probatus. Qui professus est, perpetuo debet in monasterio consistere, nunquam aut professionem deserturus; aut a monasterio dejiciendus, nisi tales caussæ sint, & gravissimæ, quæ canonibus comprobantur.

TITULUS XI.

DE SANCTIMONIALIBUS.

I.

QUÆ de Monachis dicta sunt, ea fere omnia Sanctimonialibus conveniunt. Origo prope eadem est; eadem institutio. Infirmior sexus in iis, quæ mulieres decent, imitatus est sexum nobiliorem. Quæ viris propositæ fuere regulæ, eædem propositæ fuere fœminis, siquæ ex istis Divinarum rerum contemplatione delectatæ a negotiis sæcularibus abscedere, & in recessu vivere voluissent.

II.

II.

Vitæ ſeverioris profeſſio occaſionem Juſtiniano Imperatori præbuit, ut Sanctimonialium vita, & jura, & onera univerſa, exemplo Monachorum, in Epiſcoporum ſollicitudinem conferrentur. Epiſcopi ab ipſa Sanctimonialium origine & curatores bonorum, & Sacerdotes ſacra peracturos in Sanctimonialium monaſteriis conſtituerunt, quæ diſciplina ut plurimum etiam hodie viget. Relicta Abbatiſſæ, ſive Præpoſitæ monaſterio quadam matrisfamilias poteſtate, tota juriſdictio, vigilantia, ac ſollicitudo penes Epiſcopum eſt.

Quædam tamen virginum monaſteria exemplo virorum Monachorum quandoque poſtulaverunt, ut ab Epiſcopali poteſtate eximerentur, & Prælato Regulari ſubjicerentur, aliquando etiam majori Antiſtiti, ceu Pontifici Maximo. Hujus generis obtenta privilegia recentioribus ſæculis, præſertim poſt Concilium Tridentinum, certis modis coërcita ſunt, ad inſtaurandam Epiſcoporum poteſtatem. Ubi controverſiæ incidant, non tam privilegiorum tenor ſpectandus eſt, quam leges, & conſtitutiones, quæ privilegiis certum modum adjecerunt.

III.

Muliebris ſexus infirmitas ſingulare illud poſtulavit, ut Sanctimonialium monaſteria certis cautionibus ædificarentur. Jam ab Juſtiniani temporibus abolitus uſus fuit monaſteriorum duplicium, in quibus ſcilicet degerent & Monachi, & Moniales. Deinde conſultum fuit, ut locus monaſterii erigendi talis eſſet, in quo tuta foret, & ſecura Sanctimonialium vita; nimirum non procul ab urbibus, vel frequentibus oppidis monaſteria ædificarentur; ipſa etiam in urbibus, & frequentibus oppidis ædificata monaſteria mœnibus cingerentur, ac munirentur. Hanc appellaverunt clauſuræ legem, quam ſeveriorem reddidit Bonifacius VIII. in cap. 1. de ſtatu Regular. in 6., confirmavit Tridentinum Concilium in ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5., quibus acceſſerunt recentiorum Pontificum Maximorum conſtitutiones.



TIT.

TITULUS XII.

DE VICARIIS PONTIFICIS MAXIMI IN URBE.

I.

SIc abſoluta deſcriptione ſingularium perſonarum, quæ ſingularia jura habent in eccleſiaſtica hierarchia, vel in ea conditione, quæ proxime ad eccleſiaſticam hierarchiam accedit, & quidem vi proprii officii, ac ſtatus, aliæ ſunt commemorandæ perſonæ, quæ alienum officium in hierarchia gerunt, & Vicarii appellantur.

Sunt iſti vel Vicarii Pontificis Maximi, vel Vicarii Epiſcoporum, vel Vicarii Parochorum. Vicarii autem Pontificis Maximi vel in urbe Roma conſtituuntur, vel extra urbem. De ſingulis in hoc, & ſequentibus titulis agendum ex ordine eſt.

II.

Præterquamquod Romanus Antiſtes Pontificatum Maximum in univerſa Eccleſia gerit, in Eccleſia occidentali unicus Patriarcha dici poteſt, Primatum quoque habet, & Archiepiſcopatum ſingularem; ſuam quoque habet diœceſim a ceterorum Epiſcoporum diœceſi diſtinctam, videlicet Romanam, in qua gerit Epiſcopatum. In tanta ſollicitudinum

amplitudine debuit, ac debet identidem aliena opera uti, eamque ob rem plures habet ſui miniſterii adjutores, præſertim in urbe Roma.

III.

Ad exercendam æque diœceſanam, ac totius Eccleſiæ curam, utitur Congregationibus ſelectorum in urbe virorum, ac præſertim Cardinalium.

Quæ, quales, quantæque ſint Congregationes in adjutorium Pontificis Maximi erectæ, in ſequente libro demonſtrabitur.

IV.

Ad exercendam diœceſanam poteſtatem, nimirum urbis, & diœceſis Romanæ, ſuum Vicarium conſtituit, ut plurimum ex Cardinalium numero electum. Non diſſimilis eſt hujus Vicarii ratio, ac ſit ratio Vicariorum Epiſcopalium. Tota juriſdictio ex mandato Pontificis Maximi pendet, niſi quædam ſint communi jure, aut moribus recepta ſingularia.

Singulare illud eſt, ut vita functo Pontifice Maximo, Vicarii juriſdictio diœceſana adhuc perduret. Singulare etiam eſt, ut non ſolum Romanæ diœceſis clericos ordinet, ſed & clericos Epiſcoporum ſuburbicariorum, ſi Epiſcopi ſuburbicarii vel per ſe,

vel

vel per suffraganeos Episcopos, siquos habent, ipsi sacros Ordines non sint collaturi. Eam ob rem Cardinalis Vicarius Episcopali Ordine insignitur.

TITULUS XIII.

DE VICARIIS PONTIFICIS MAXIMI EXTRA URBEM.

I.

QUOTQUOT extra urbem a Pontifice Maximo Vicarii constituuntur, non dioecesanam Romani Antistitis potestatem explicant, sed eam, quam Romanus Antistes explicare potest vel ut Archiepiscopus, vel ut Primas, vel ut Patriarcha, vel ut maximum gerens Pontificatum, pro modo muneris Vicario demandati, pro modo caussæ, ob quam Vicarius constituitur, pro ratione provinciæ, ad quam Vicarius mittitur.

II.

Quicumque designentur Vicarii, & quocumque titulo, universam potestatem metiuntur, & metiri debent ex viribus mandati. Præprimis observandæ sunt conceptæ mandatorum formulæ: ubi formularum facienda sit interpretatio, inquirendum erit, quid jam in similibus definitum, aut generali lege, aut re-

rescriptis fuerit: ubi nihil expresse definitum adpareat, consuetudo diuturna rerum plurium gestarum erit accurata Pontificiæ voluntatis interpres. Certe pro qualitate, & characteribus variis personarum, quibus vices suas solent Pontifices Maximi mandare, modo latior, modo angustior interpretatio fieri solet.

III.

Triplicis generis recenseri solent Vicarii; quorum alii appellantur Vicarii nati, alii missi, alii a latere.

IV.

Vicarii nati dicuntur Antistites quarundam Ecclesiarum majorum, quibus in perpetuum consueverunt Pontifices Maximi vices suas committere, itaut in ea provincia Pontificis Maximi potestatem exerceant. Hæc Vicariatus potestas Sedi potius, & Ecclesiæ, quam personæ datur, eamque ob rem transit in successores dignitatis, ac Sedis. Horum potestas non longe distat a potestate Archiepiscoporum, aut Primatum.

V.

Missi dicuntur, qui legatione Pontificia funguntur, & totidem specie sunt, quot esse possunt legationis caussæ. Ut plurimum mittuntur ad Principes. Apud veteres isti

ap-

appellabantur Apocrysarii; quandoque dicti sunt responsales, quod cum mandata Pontificia apud Principem exhibuissent, tum deinde responsa Principum Pontifici Maximo referebant. Solent in multis provinciis Pontifices Maximi Legatis ad Principes missis certa Pontificiæ potestatis munera demandare, præsertim ad gerendam sollicitudinem erga eos, qui exemti sunt abs jurisdictione Ordinariorum.

VI.

Cum Cardinales legatione Pontificia funguntur, ii appellantur Legati a latere, quasi cum membra dicantur unum corpus cum Romano Antistite conficientia, e latere Pontificio quodammodo prodiisse intelligantur. Ob eximiam Cardinalatus dignitatem a ceteris Legatis missis secernuntur, eandemque ob caussam solent a Pontifice Maximo amplioribus cum facultatibus mitti.



TIT.

TITULUS XIV.

DE VICARIIS EPISCOPORUM.

I.

JAMDIU consueverunt Episcopi certis selectis clericis vices suas demandare in diœcesana sollicitudine. Amplitudo rerum in diœcesi gerendarum id suasit. Et quidem id eousque & probatum, & probandum fuit, quousque non eam ob caussam Episcopi se, suamque operam omnino subducant.

Hanc ob caussam sæculo nono, & decimo improbati, damnatique fuerunt Corepiscopi illi civitatenses, de quibus mentionem superius feci in tit. 7. num. 4. Hos ideo Episcopi designaverant, ut in eosdem translata omni cura, otio fruerentur.

II.

Cum primum vices suas Episcopi mandare cœperunt, non certas personas ad nutum amovibiles designarunt, sed certa perpetua munera in Ecclesiis constituerunt, ad quæ cum certam personam elegissent, tum Vicarium in ea parte sibi constituisse intelligerentur. Hinc potius dignitas ipsa veluti vicaria, quam persona intelligebatur, & vices uni commissæ ad successorem in dignitate commeabant.

Sic

Sic conſtituti olim fuerunt in cathedralibus Eccleſiis Œconomi, qui vice Epiſcopi res temporales Eccleſiæ curarent; Archipresbyteri, Archidiaconi, Primicerii in cathedralibus, qui vice Epiſcopi Presbyteros, Diaconos, ac Notarios dirigerent; Archipresbyteri rurales, qui extra cathedralem vice Epiſcopi certo Parochorum numero præeſſent, atque his ſimiles.

III.

Succeſſione temporum ſelecti illi viri, qui vi propriæ dignitatis vicariam operam Epiſcopo præſtabant, ſe ordinariam poteſtatem nactos fuiſſe cenſebant. Longa conſuetudo, ac præſcriptio loco tituli videbatur, adeout quandoque adverſus Epiſcopos ipſos de poteſtate contenderint. Maluerunt Epiſcopi alios ſibi Vicarios adſciſcere, quos uti pro lubitu aſſumerent, ita pro lubitu removerent. In civitatibus Vicarios Generales conceſſa ampliſſima poteſtate conſtituerunt, modo unum, modo plures, modo tributis officiis. Quum unum rebus ſacris præficerent, alterum judiciis, priorem *Vicarium*, poſteriorem *Officialem* appellantes. Extra urbem Vicarios quoſdam conſtituerunt lubitu etiam ſuo removendos, quos *Vicarios Foraneos* nominaverunt.

Exinde

Exinde dignitates cathedralium Ecclesiarum, & Archipresbyteratus rurales sua nomina retinuerunt, officia amiserunt, nisi de quibusdam minoribus muneribus ageretur, aut de certa jurisdictionis specie exercenda, quam certis singularibus titulis adquisitam, sibi confirmandam pactionibus, rebusve judicatis curavissent.

IV.

Vicariorum jurisdictio, ac potestas tota pendet, ac modum accipit ex Episcopi mandato. Longe major est Vicariorum Generalium, quam Foraneorum. In generali mandato graviora non continentur, hæc enim indigent speciali mandato. Ubi de interpretatione mandati agitur, considerandus præprimis mandati tenor, ac formula. Deinde quid leges, & decreta de interpretandi ratione definiverint. Consuetudo denique mandantium erit æquissima voluntatis Episcopalis interpres.



TIT.

TITULUS XV.

DE VICARIIS PAROCHORUM.

I.

DUÆ cauſſæ ſunt, ob quas Vicarii Parochorum deſignantur. Prima eſt, cum Parochus facile non poteſt in ſuum miniſterium incumbere; altera eſt, cum Parochus ſolus minime ſufficit ad curam animarum exercendam. Exempla prioris cauſſæ multa ſunt. Quid enim, ſi Epiſcopatui, aut alteri dignitati, vel officio in cathedrali Eccleſia conſtituto adnexa ſit cura animarum in certum populum, & plebem longe diſſitam ab Eccleſia cathedrali? Quid, ſi ad Capitulum, vel Collegium cura animarum pertineat, nec facile per totum Capitulum, vel Collegium exerceri poſſit? Quid, ſi cura animarum in una parochia referatur ad plures vicos, nec par ſit unus Sacerdos omnibus? In his, & ſimilibus caſibus Vicarii parochiales conſtituuntur; imo & conſtitui ſolet Vicaria tanquam munus perpetuum, & ſimile parochiali officio. Epiſcopus, Dignitas, Capitulum, Parochus procul degens dicuntur gerere curam animarum habitu, Vicarius conſtitutus actu dicitur curam animarum exercere. His in caſibus Vicarii parum diſtant a Parochis;

&

& in usu parochialium officiorum tanquam veri Parochi habentur, integris manentibus juribus, ac prærogativis, quæ in institutione Vicariæ reservatæ sunt Parocho *primitivo*, ut vocant, idest illi, qui curam animarum habitu retinet. Exemplum alterius caussæ est, ubi in una parochia populus auctus est, aut tanta populi multitudo, ut unius Sacerdotis officium non sit sufficiens. Hac in specie vel unus, vel plures constituuntur adjutores, qui una cum Parocho, & sub Parocho ipso curam animarum exerceant.

II.

Ad Episcopos ordinario jure spectat in eas caussas inquirere, atque, ubi opus, Vicarias erigere, Parochos adigere, ut Vicarios sibi adjungant, Vicariorum eorundem electorum personas probare, quandoque etiam in officio instituere.

III.

Ex Vicariis Parochorum alii sunt perpetui, alii amovibiles ad nutum. Frequentius Vicarii perpetui constituuntur, ubi cura animarum adnexa est Capitulis, Collegiis, Dignitatibus; rarius ubi ex multitudine populi Parochi adiguntur, ut sibi Sacerdotes adjutores adjungant.

TIT.

TITULUS XVI.

DE COADJUTORIBUS.

I.

AD Vicarios proxime accedunt Coadjutores, illi nimirum, qui constituuntur, ut clericum certis officiis gerendis addictum, alias suo muneri satisfacere non valentem adjuvent. Æque dantur Episcopis, Dignitatibus, Canonicis, ac Parochis.

II.

Caussæ dandorum Coadjutorum sunt infirmitas clerici certo officio addicti, &, quæ non procul est ab infirmitate; ipsa senectus: ut paucis dicam, quotiescumque clericus par esse officio nequit, alias autem æquum non est, clericum, qui diu in Ecclesia ministravit, a suo officio, ac beneficio removeri.

III.

Si caussa Coadjutoris constituendi perpetua est, Coadjutor perpetuus datur. Si spes est futurum, ut caussa cesset, ad tempus vel certum, vel incertum Coadjutor constituitur, donec nimirum coadjutus vacare suo muneri valeat.

IV.

Coadjutores perpetui quandoque constituuntur, ita, ut jus habeant futuræ successionis.

nis. Res non ſine gravi periculo, ob votum facile gliſcens inter homines infirmos optandæ mortis alienæ, item ob frequentes occaſiones, quæ inde emergunt, ſucceſſionum, aut familiarium, aut pene hereditariarum in beneficiis, dignitatibus, officiiſque ſacris. Has ob cauſſas ſæpe Concilia eccleſiaſtica intercesſerunt, ut hæc coadjutoriarum genera damnarent. Si gravis quædam cauſſa nihilominus id fieri poſtulet, qui de cauſſa cognoſcit, toto ſtudio in id incumbere debet, ut, quoad fieri poſſit, ea & animarum, & Eccleſiarum pericula avertantur.

Coadjutor datus perpetuo cum jure futuræ ſucceſſionis, loco titularis habetur officio tenus, locum ſibi vindicat coadjuti, & honores; a redditibus tamen beneficii abſtinet. Coadjutoribus temporalibus quædam redditaum portio tribuitur.



TITULUS XVII.

DE RELIGIOSIS PRINCIPIBUS,

Vel Optimatibus, ac Proceribus Reipublicæ; Defensoribus, Advocatis, & Patronis Ecclesiarum.

I.

NON Ministris sacrorum modo, verum etiam Patronis, ac Defensoribus Ecclesia, & ecclesiastica ratio universa indiget. Hinc jure optimo Paullus Apostolus supra commemoratus tit. 1. *Opitulationes* inter Ecclesiæ gradus recensuit.

Patronis quibuscumque, & præsidium Ecclesiæ porrigentibus sui quoque sunt gradus alii aliis majores.

II.

Præcipua ratio semper habita fuit religiosorum Principum. Statim ac enim Imperatores, ac Reges, ac Rerumpublicarum Duces, ac Curatores universi nomen Christo dederunt, nihil ipsis antiquius fuit, nihil magis Ecclesiæ ipsi dulcius, quam ut Ecclesia, & res ecclesiasticæ universæ eorundem clientelæ, ac patrocinio commendarentur. Perennis fuit ista traditio, & perpetuis canonibus comprobata.

In hanc rem proſtant teſtimonia Leonis Magni, Iſidori Hiſpalenſis, & Joannis VIII. in can. 20. 21. & 25. cau. 23. qu. 5. Leo idem Magnus ita ſcribebat ad Leonem Auguſtum epiſt. 125. editionis Queſnellianæ: *Debes incunctanter advertere Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*; quod ipſum repetebat in epiſt. 133., imo ut deſignaret, quo patrocinium collimaret in ep. 122., appellavit Imperatorem Chalcedonenſis Concilii *Cuſtodem*. In canone 5. vetuſtiſſimi Antiocheni Concilii decernitur, Principum vindictæ ſubeſſe clericum Eccleſiæ turbatorem. In can. 4. diſt. 17. ſub nomine Gregorii Papæ rogantur Principes, ut puniant eos, qui poſt baptiſmum a Catholica fide receſſerint, & in can. 20. cau. 11. qu. 1. ut coërceant Epiſcopos reos violatæ canonum diſciplinæ. Hanc prærogativam ſibi ſæpe adſeruit Juſtinianus in ſuis Novellis, præ ceteris in Nov. 137. princ., & cap. 1., & in Nov. 57. Hiſce formulis pleni undique ſunt canones, ac præ ceteris Capitularia Francorum Principum. Ipſi etiam Pontifices Maximi ſæpe ac ſæpius, ubi gravis cauſſa id expoſceret, ad religioſorum Principum fidem, tutelam, ac patrocinium confugerunt.

III.

III.

Quando vero Principes summi Magistratibus suis, selectis Optimatibus, ac Proceribus, unicuique pro virili parte, potestatis suæ exercitionem committunt, pro eadem virili parte selecti ipsi viri nomine Principis patrocinium Ecclesiæ, & rerum ecclesiasticarum exercent.

IV.

Veteribus sæculis, cum sub uno Imperio innumeræ provinciæ subjacerent, & admodum difficile foret implorandi patrocinii caussa pro emergentibus negotiis Imperatorem adire; alias autem constituti in provinciis Magistratus aut variis negotiis distraherentur, aut non omni suspicione liberarentur, consuevit Ecclesia ab Imperatoribus postulare certos sui, suorumque jurium defensores, exemplo civitatum, quæ etiam defensores easdem ob caussas postulaverunt. Defensorum cura erat, ut nomine Principis Ecclesias tuerentur, atque ab injuriis vindicarent.

De defensoribus civitatum extat titulus in codice Justinianæo.

Africanos Episcopos postulavisse ab Imperatore, ut Ecclesiis defensores concederentur, liquet ex canone 10. cau. 23. qu. 3., eosdemque defensores fuisse imperiali aucto-

 ritate

ritate concessos constat ex l. 38. cod. Theod. de Episcopis, & Clericis.

Cum res Constantinopolitano-Romani Imperii in pessum irent, & vix Imperatores orientales in occidentali Imperio potestatem suam exercerent, Pontifices Maximi defensores nonnullis Ecclesiis dederunt, utplurimum in Subdiaconorum Ordine constitutos. Facile id liquet ex pluribus epistolis Gregorii Magni directis ad defensores Ecclesiarum numero plurimos.

V.

Sequioribus sæculis cum bona Ecclesiarum temporum injuriis passim diriperentur, Ecclesiæ pene singulæ saltem majores quosdam sibi patronos selegerunt sub nomine *Advocatorum*. In hac parte delectus fiebat cujusdam personæ doctrina, prudentia, & generis nobilitate spectabilis. Imo ut vehementius Advocati concitarentur ad tuendas Ecclesias, ac jura Ecclesiarum, hoc munus non tam personæ, quam familiæ concedebatur, ita ut parentibus & filii, & nepotes etiam seri succederent, concessis variis honoribus, imo & annuis censibus ab eadem Ecclesia persolvendis.

Hoc munus in Ecclesia jamdiu cessavit, postquam Deo dante, pax, tranquillitas, ac securitas Ecclesias omnes tutas reddidit,

didit, præsertim sub vigilantia Principum religiosorum.

VI.

Quoties privatus quisque Ecclesiam erexisset, aut certa in Ecclesia officia designari collatis annuis stipendiis curavisset, is eandem Ecclesiam, & officium veluti sub tutela, patrocinioque suo suscepit. Hi appellantur Patroni Ecclesiarum. Sunt autem in primis fundatores ipsi, deinde ii omnes, qui in limine fundationis vocati sunt, ut in eo munere, ac honore succedant. Hoc ipsum jus appellatur juspatronatus. Juripatronatus cohærent oneца tuendæ Ecclesiæ, ac bonorum collatorum. Cohærent quoque nonnulla jura, quæ pro temporum varietate modo plura, modo pauciora extiterunt. Potuerunt fundatores sua in Ecclesiis nomina adscribere; aut loco nominum stemmata familiaria. Potuerunt fundatores, ac successores in jurepatronatus primum locum in conventu populi, primosque honores habere, quod veteres appellabant *jus processionis*. Clericos in Ecclesia, vel beneficio instituendos præsentes Episcopo fecerunt. Denique ubi ad inopiam vergerent, ut ab Ecclesia alantur, canonibus cautum est.

TITULUS XVIII.

DE LAICIS GENERALEM ECCLESIÆ COMMUNIONEM HABENTIBUS.

I.

QUi in Ecclesia extra hierarchiam constituti sunt, generali nomine Laici appellantur, atque a clericis distinguuntur. Isti edocentur a clericis in doctrina fidei, & morum; disciplinam sequuntur ab Ecclesia propositam: Sacramenta a sacris administris percipiunt, ad Ecclesiæ conventus sacros accedunt, & in unum corpus in Ecclesia coalescunt.

II.

Quamquam laici omnes abstinere debeant ab officiis, quæ clericalis hierarchiæ sunt singularia, in ceteris tamen Ecclesiæ negotiis certis juribus pollent. Hæc jura modo perpetua sunt, atque constantia, modo vices quasdam, & mutationes patiuntur. Perpetua, & constantia sunt, quæ in Sacramentorum participatione, & generali Sanctorum communione consistunt: quippe communio Sanctorum inter vincula christianæ societatis recensetur. Vices, & mutationes patiuntur jura quædam, quæ ad regiminis sacri formam quoquo modo accedunt extra usum hierarchico-

rum

rum officiorum. Hujus generis sunt interesse Synodis, consensum præstare in electionibus sacrorum administrorum, certam in judiciis ecclesiasticis stationem habere, & his similia. Hujus generis jura quandoque etiam laicis fuere communia, quandoque ad paucos, ceu Optimates contracta, quandoque solis clericis reservata.

III.

Laici tumprimum in Ecclesia sunt, juraque sibi competentia explicant, cum Christo nomen dederint, & baptizati fuerint. Tum extra Ecclesiam ejiciuntur, cum anathemate percelluntur. Cum in Ecclesia sint, varias stationes habere possunt, pro uniuscujusque modo. Sunt enim quidam, quibus omnia competunt jura christianæ communionis; sunt quidam, quibus certa jura denegantur, quemadmodum sunt publici peccatores, aut in pœnitentium stationes ejecti.

De anathematizatis, vel excommunicatis, de pœnitentibus, & variis istorum gradibus, ac stationibus inferius suo in loco sermo habebitur.

LIBER II.

DE CONVENTIBUS, ET COLLEGIIS IN ECCLESIA.

TITULUS I.

DE FORMA ECCLESIÆ.

I.



CCLESIA est societas hominum rite colentium Deum. Duæ sunt hujus societatis bases, ac fundamenta, nimirum leges, & jura. Uti leges communes omnibus esse debent, ita esse debent jura communia. Nomine legum communium hoc in loco veniunt, quæ omnes sine discrimine devinciunt. Hujus generis sunt subjectio certo Prælato donec deveniatur ad Pontificem Maximum, qui Vicarius est Christi Ecclesiæ Principis; item propositio, & professio ejusdem doctrinæ, & fidei, & morum. Ubicumque est Ecclesia, apud quoscumque etiam provincia longe remotissimos, ibi has leges communes invenies. Nomine jurium communium veniunt hoc in loco jura christianæ communionis. Ubicumque Ecclesia est; ibi christiana communio invenitur. Ecquidem hæc jura multigena sunt; sed ab istis nemo chri-

christianus excluditur, nisi aut culpa sua quidam semetipsos excludant, aut nisi in pœnam criminis ab Ecclesia ipsa excludantur.

II.

Generalis hæc hominum societas, retenta tamen unitate dividitur in varias singulares societates, quæ una collectæ in generalem deinde eandem illam societatem coalescunt. Singulares societates fiunt ex duplici caussa, primo nimirum ex conditione personarum, secundo ex distinctione locorum. Sic qui ejusdem conditionis sunt, singularem quandam societatem constituunt: sic singularem societatem faciunt, qui in certis locorum finibus commorantur. Singularibus societatibus suæ sunt singulares leges, sua quoque jura singularia, æquabiliter ac cum de generali societate agitur.

III.

Ratione personarum aliam singularem societatem constituunt clerici, aliam laici. Quæque societas suas habet singulares leges, sua jura singularia: aliam constituunt monachi, & regulares, imo & isti pro modo sui instituti, & regulæ in multas societates tribuuntur; diriguntur legibus singularibus, & juribus singularibus utuntur. Accesserunt his societates laicorum, quas sodalitia, seu confrater-

fraternitates vocant; collegia ſtudioſorum; ac denique loca quædam religioſa, in quæ certum hominum genus colligitur. Omnes iſtæ ſocietates ſuas habent ſingulares leges, ſuaque jura ſingularia.

IV.

Ratione locorum facile eſt ſingulares initas ſocietates indicare. Univerſa Eccleſiæ ſocietas dividitur in nationes, in provincias, in diœceſes. Toti Eccleſiæ præeſt Pontifex Maximus; nationi præeſt Patriarcha, aut Primas; provinciæ Metropolitanus, ſive Archiepiſcopus, diœceſi Epiſcopus. Ut ubicumque certa ſocietatis forma ſervetur, ac teneatur, cauſſa adminiſtrationis, unicuique Prælato collegium ſuum cohæret, cujus conſilio, ac conſenſu negotia tractentur, diſcutiantur, ac dirimantur. Ordinario jure unuſquiſque Prælatus collegium habet clericorum Eccleſiæ, quam regit, adſcriptorum.

Sic diœceſanus clerus collegium Epiſcopi conſtituit, clerus Metropoleos collegium Archiepiſcopi, clerus Primatialis, vel Patriarchalis Sedis collegium Primatis, vel Patriarchæ; clerus Romanus collegium Pontificis Maximi.

V.

V.

Verum enim vero collegia isthæc modo ordinaria sunt, modo extraordinaria. Ordinaria sunt, quæ caussis ordinariis, frequentioribus, ac vulgaribus prospiciunt, si caussa gravis emergat, & certam providentiam illico postulet, interea eidem consulunt, ne mora adferat detrimentum. Uniuscujusque civitatis clerus, qui cum Episcopo residet in Ecclesia cathedrali, ordinarium collegium constituit, ac in eo totius diœcesis negotia dirimuntur. Idem dixeris de clero urbis Metropolis, qui residet cum Archiepiscopo in Ecclesia Metropolitana, ubi ordinaria provinciæ negotia agenda sint, vel ea, quæ moram non patiuntur. Idipsum de clero Ecclesiæ Primatialis, vel Patriarchalis, ubi de negotiis agatur nationis. Idipsum denique dixeris de clero Romano, cujus est ferre consilium Pontifici Maximo in agendis totius Ecclesiæ negotiis. Extraordinaria collegia sunt, quæ caussis gravioribus consulunt, easdemque concludunt. Ad hæc componenda concurrit totus clerus societatis pro modo societatis ejusdem, prout vel generalis societas est, vel singularis; quod contingit in Conciliis sive generalibus totius Ecclesiæ, sive particularibus aut nationis, aut provinciæ, aut diœcesis.

Ne

Ne tota societas conveniret in ordinariis, frequentioribus, & vulgaribus caussis, aut etiam in gravioribus, quæ moram non patiuntur, utilitas publica postulavit. Scilicet nimis grave fuisset Ecclesiis, si pro quacumque caussa totus clerus diœcesanus apud Episcopum, totus clerus Provincialis apud Archiepiscopum, totus clerus nationis apud Primatem, vel Patriarcham, totus clerus, quantuscumque in Ecclesia universa est apud Pontificem Maximum conveniret.

VI.

Sed & ipsa collegia ordinaria varias vices passa sunt pro modo adjunctorum; item pro modo caussarum, denique pro modo Ecclesiarum. In cathedralibus singulis Ecclesiis constituta sunt Capitula Canonicorum, quibus mandatum est, exclusis ceteris clericis civitatensibus, ut Episcopum consilio juvarent; quamquam, & quandoque certis in caussis cleri extra Capitulum constituti habita ratio fuit, uti liquet in conspectu Tridentini decreti de erectione Seminariorum sess. 23. de ref. cap. 18. Si de negotiis provincialibus, vel nationalibus ageretur, præsertim gravioribus, antiqui canones docent, Archiepiscopos, sive Primates, aut Patriarchas nihil agere debere, priusquam consensum, aut

con-

consilium suffraganeorum Episcoporum postulavissent. Etsi Concilium, sive conventus extraordinarius minime celebraretur, datis tamen, receptisque epistolis tractari res poterat. Eam ob rem frequentibus literis invicem se se Episcopi excolebant. Denique ubi de negotiis Ecclesiæ universæ a Pontifice Maximo gerendis ageretur, hæc forma indita ordinariis conventibus fuit, ut Episcoporum quidem plurium saltem finitimorum consilium postularetur; deinde ut pro clero Romano collegium Cardinalium institueretur; Cardinales autem eligerentur delectu maximo ex universa Ecclesia. Eam ob caussam Episcopi quidam Romanæ urbi finitimi in Cardinalium collegium cooptati sunt; de ceteris Cardinalibus ita scribebat S. Bernardus in lib. 4. de considerat. cap. 4. *an non eligendi de toto orbe orbem judicaturi*?

VII.

Primis Ecclesiæ sæculis collegia extraordinaria ita fiebant, ut universa fidelium multitudo ad ea conveniret pro modo cujuscumque societatis. At adaucto populi fidelis numero, & clero ipso in ingentem multitudinem redacto, non potuere non præberi occasiones contentionibus, quas turbæ facile excitabant. Inde factum est, ut jus comi-

tiorum

tiorum extraordinariorum solis iis concederetur, qui digniores erant, seu qui ceterorum veluti principes essent, & valerent in congressu plurium personas pene repræsentare. Sic ad Concilia generalia advocati sunt Episcopi omnium Ecclesiarum, variique Prælati, & digniores selecti viri, exclusis clericis inferioribus. Ad Concilia nationalia, ac provincialia advocati sunt præter Episcopos nationis, & provinciæ etiam Capitula Canonicorum saltem nobiliora; in Conciliis autem dioecesanis totus pene clericorum ordo admissus est.

VIII.

Videor mihi generalem hucusque tributionem Ecclesiæ exhibuisse, eam scilicet, in qua non generalis societas modo dignoscitur, sed & deprehenduntur singulares societates in generalem denique coalescentes. Ex sequentibus titulis res tota magis perspicua fiet.



TITULUS II.

DE CONCILIIS GENERALIBUS.

I.

CONCILIUM generale, quod & Œcumenicum dicitur, est conventus Ecclesiæ universæ. Ex quo præsertim Ecclesia fuit longe lateque diffusa, fieri plane non potuit, ut in unum fideles omnes convenirent. Saltem illos, quos præcipue tangere debet sollicitudo, & cura Ecclesiarum, & convocari, & convenire necesse est. Hi profecto sunt, quos cum convenisse quis deprehendat, tum prudenti judicio agnoscat, talem esse conventum, qui totam Ecclesiam repræsentet. Hæc ratio est, & forma usu recepta in conventibus universitatum, sive societatum: ubi enim universitas ingenti personarum multitudine constat, præsertim si tales personæ sint, quæ ratione locorum longe sint, lateque diffusæ, publica utilitas postulavit, paucos selectos convenientes universitatis vices gerere.

II.

Caussæ generalium Conciliorum celebrandorum debent esse gravissimæ, quarum definitio totius Ecclesiæ intersit. Hujus generis sunt declaratio doctrinæ fidei, & doctrinæ

morum, quarum doctrinarum unitas est vinculum fidelium universorum. His accedunt certa capita disciplinæ, quæ publice interest æqualiter, & sine discrimine in Ecclesiis omnibus observari. Pax quoque, & tranquillitas Ecclesiæ, quandoque aut hæresibus subortis, aut concitatis schismatibus turbata, occasionem saluberrimam præbent celebrationi Concilii generalis. Si caussæ longe minores occurrant, operæ pretium non est, totam Ecclesiam commoveri; cum alii supersint modi, quibus Ecclesiæ consulatur.

III.

Usus celebrandorum Conciliorum antiquissimus est. Vel ipsi Apostoli, uti docet S. Lucas in Actis, Concilia celebraverunt, ad quæ una cum ipsis universa multitudo convenit. In urbe Hierosolymitana, in qua illa Concilia celebrata sunt, non multi numero fideles erant, proindeque facile poterant omnes convenire. Exemplum Apostolorum imitati sunt Episcopi successores, etiam quo tempore pace non fruebatur Ecclesia. Sed ipsa temporum adjuncta non ferebant, fideles omnes ad Concilia colligi. Hinc nulla prioribus tribus Ecclesiæ sæculis ab historicis consignata Concilia sunt, quæ generalia dicerentur. Primum generale Concilium celebratum est data

Eccle-

Ecclesiæ pace sub Constantino Imperatore anno 325. in urbe Nicœna occasione hæreseos Arianæ. Subinde ortæ aliæ hæreses occasionem dederunt celebrationi aliarum Synodorum succedente ætate. Postremum generale Concilium est Tridentinum.

Maxima semper habita fuit in Ecclesia auctoritas quatuor priorum generalium Conciliorum, qualia sunt Nicœnum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: Sancti Patres, & Pontifices Maximi professi sæpe fuerunt, se illa Concilia colere eodem cultu, quo quatuor Evangelia colebant. Horum Conciliorum antiquitas hunc honorem præ ceteris mereri visa est.

IV.

Quoties generale Concilium celebrandum fuit, multa occurrere consueverunt. Investiganda erat caussa celebrationis, ac palam proponenda veluti digna diremtione, ac definitione Concilii. Designandus locus, in quo Concilium celebraretur. Ex omnibus Ecclesiis Episcopi advocandi certa inevitabili auctoritate, quam declinare minime possent. Cavendum, ne cum omnes convenerint, tumultibus, turbis, seditionibus locus fieret; eamque ob rem sollicitudo adhibenda, ut omnia secure, tranquille, sine vi, & metu

 gere-

gererentur. Caussæ ipsæ, quæ discutiendæ forent, dirimendæ erant juxta Divinas literas, traditiones Patrum, atque jam editas canonum sanctiones. Si quorum specialiter intererat, certas caussas definiri, erant ipsi audiendi, aut saltem invitandi, ut quod sua intererat, proponere palam possent. Denique sententiæ in Concilio editæ erant executioni mandandæ, ne alias definitiones synodales in irritum caderent. Hæc sane omnia sine plurium concursu fieri nequibant.

Hinc opus est in primis eorum sollicitudine, qui caussas exhibeant, & proponant, illorum etiam, qui caussas ipsas explorent, an dignæ Concilio sint, tum vero celebrationem Concilii postulent, aut pro celebratione Concilii urgeant. Deinde opus est consilio, & consensu plurium in designatione loci, qui aptus sit, opportunus, & commodus. Insuper opus est auctoritate illius, qui possit omnes Episcopos convocare, & ad conventum adigere. Præterea opus est præsidio potentum, qui omnem tumultus, ac seditionis caussam, ipsam etiam suspicionem amoveant. Certos quoque selectos viros advocari necesse est, in Divinis literis, in doctrina Patrum, in disciplina canonum eruditissimos, qui præsto sint Episcopis suffra-

gium

gium laturis, explorando, discutiendo, expandendoque Divinas, ecclesiasticasque sententias. Quando multorum interesse potest, certa capita definiri, eos etiam invitare necesse est, ne illis inauditis aut omnino contemtis in discrimen adducatur, quod pronunciandum est. Denique cum sententiæ generalis Concilii ideo edantur, ut in Ecclesia universa executioni mandentur, opus est auctoritate eorum, qui constituti in Ecclesia sunt, ut ecclesiasticorum canonum patrocinium in se suscipiant, curentque, ut nec vacuæ, nec inanes constitutiones evadant.

Caussæ celebrationis Concilii ab omnibus sine discrimine proponi possunt; omnium enim sine discrimine interest publica Ecclesiæ salus. Eo vero majore ratione digna propositio habebitur, quo aut dignior est, qui proponit, aut major est numerus proponentium. Discussio caussarum aut literis, aut indictis præliminaribus comitiis fit; qua in re prudentia concitatur illorum, qui primas in Ecclesia dignitates tenent; proindeque præsertim Pontificis Maximi. Sic deliberatio fit celebrandi Concilii.

Succedit designatio loci. Ut unus potius locus præ altero designetur, actus prudentiæ est, singula librantis juxta adjuncta

rerum, quæ caussam Concilio præbent. Ergo eorum omnium, qui caussas celebrandi Concilii diremerunt, de loco judicium est. Necessarium esse consensum illius Principis, in cujus ditione locus designatur, ipsa publici juris, & dominii territorialis ratio postulat.

Designatione loci facta, sunt advocandi omnes Episcopi, quod jus ad primam Sedem, qualis est Romana, pertinere dignoscitur. Is enim convocare Episcopos solus potest, & debet, qui in universos Episcopos potestatem habet.

Præsidia ad avertendos tumultus a piis religiosis Principibus sunt imploranda. Sic vetus constans docuit consuetudo; quare Marcianus in Chalcedonensi Concilio ita de se profitebatur. *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, ut inventa veritate, non ultra multitudo pravis doctrinis attracta discordet*; can.2.dist.96.

Cum diremtio rerum in Concilio definiendarum facienda sit, audiendi sunt viri periti & Divinarum literarum, & veterum traditionum, & canonum ecclesiasticorum. Id plane fieri nequit, nisi conveniant in Concilium, uti advocari, & convenire consueverunt selecti Theologiæ magistri, & canonum

num cultores, quorum omnium consilio suffragia Episcoporum quodammodo dirigerentur. Sic stabilitur doctrina fidei, ac morum. Quod si de capitibus disciplinæ generalis agatur, cum ista non ubique aliquando conveniat, tum interest selectos de unaquaque provincia audiri viros, quorum consilio constet, an eadem disciplina facile possit provinciis universis accommodari.

Quoties in generali Concilio discutienda sint facta quædam singularia, ceu suscepto certarum caussarum judicio, eodem jure citandi, &, cum comparuerint, audiendi sunt illi, quorum interest, quo jure citandi sunt omnes, &, cum comparuerint, audiendi, quorum caussa sit in judiciis agitanda.

Denique nemo non intelligit, caussa executionis decretorum conciliarium, intercedere pios, ac religiosos Principes, qui iccirco disciplinæ ecclesiasticæ patroni, tuitores, ac vindices passim prædicantur, & revera existunt, quo etiam pertinet modo laudatus canon 2. dist. 96.

Quæ huc usque tradita sunt, pertinent ad ordinariam celebrandi Concilii formam. Extra ordinem contingere potest, ut non servatis solennitatibus, subsequente ta-

men ratihabitione, Concilium & justum, & legitimum habeatur. Vulgare hujus rei exemplum demonstratur in Concilio V. generali, sive Constantinopolitano II., in cujus conspectu sequens ratihabitio Pontificum Maximorum in caussa fuit, ut non amplius quæreretur, an initio Sedis Apostolicæ auctoritas intercessisset.

V.

Jus suffragii definitivi in Conciliis generalibus est penes Episcopos, tanquam eos, qui in Ecclesia Christi locum tenent Apostolorum, quibus Divino jure commendata jam fuerat propositio, ac prædicatio sacræ doctrinæ seu fidei, seu morum, quibus etiam eodem jure mandata deprehenditur potestas quæcumque ligandi, ac solvendi. Et quando Pontifex Maximus Episcoporum omnium Princeps est Divino jure constitutus, magna semper habita fuit ejusdem suffragii ratio. Non inde tamen sequitur, non posse alios ad suffragium ferendum admitti, sive constitutionibus, sive privilegiis, sive moribus. Etenim suffragii ferendi potestas sequitur indolem, ac naturam jurisdictionis sacræ, in qua moderanda locum habent & positivæ leges, & privilegia, & mores, quamquam verum sit, parcius ad has concessiones de-

veniri,

veniri, cum agatur de potestate legislativa, quæ in unaquaque republica, ac societate summa est, & maxima.

Cardinales Romanæ Ecclesiæ in hac parte etiam potestatem nacti sunt, sive quod tanquam unum corpus cum Pontifice Maximo constituere dicantur, sive quod in suis titulis quasi Episcopalem jurisdictionem acceperint, sive quod præsertim hodie ex variis orbis provinciis eligantur, sive quod ii in generalibus Conciliis legatione Pontificis Maximi fungantur. Siqui alii Prælati non Episcopi, utut jus nacti fuerint accedendi ad Concilia generalia, velint ulterius jure ferendi suffragii experiri, doceant oportet, se hoc jus legitimo titulo quæsivisse.

VI.

Definitiones Conciliorum generalium in doctrina vel fidei, vel morum, inconcussæ sunt, & nulli prorsus errato obnoxiæ, eamque ob rem nec vocari in dubium, eove minus retractari possunt. Siquidem in his definitionibus versatur, quid verum sit, quid falsum, quid justum, quid iniquum: veritas autem, & justitia una semper est, constans, perpetua. At si definitiones spectent disciplinam, observandæ quidem ab omnibus sunt, quousque non retractentur; at possunt

vel in alio Concilio, vel etiam alia legitima ratione retractari, atque aboleri; etenim in his caussis versatur, quod expedit, quod decet, quod utile est: multa autem quæ sicut uno in loco, ita & uno tempore expediunt, decent, atque utilia sunt, mutatis inde sicut locorum, ita & temporum adjunctis, expedire desinunt, aut decere, imo & inutilia, forte etiam noxia reddi possunt.

Inde profluit, quandoque certa disciplinæ capita utut in generali Concilio præstituta, non in omnibus peræque provinciis observari.

TITULUS III.

DE CONCILIIS NATIONALIBUS, PROVINCIALIBUS, ET DIŒCESANIS.

I.

Quemadmodum Concilia generalia exhibent generale totius Ecclesiæ collegium; ita Concilia particularia exhibent varia illa singularia collegia, quibus Ecclesia constat, uti in titulo 1. notandum fuit. Ergo tot species sunt particularium Conciliorum, quot sunt singularium collegiorum. Est nationale collegium totius alicujus nationis conventus; provinciale totius alicujus provinciæ, diœ-

diœcesanum totius alicujus diœcesis; unum profecto collegium alio collegio amplius, & dignius.

Sic diœcesanum Concilium provinciali, provinciale nationali inferius est: eamque ob rem nationalia Concilia in conspectu provincialium, aut diœcesanorum apud veteres Synodorum pene generalium nomine appellata fuere. Sic Concilium totius Africæ *Plenarium* Concilium a Sancto Augustino Hipponensi nuncupatum est.

II.

Pro majore Concilii amplitudine major quoque dignitas est, major etiam auctoritas, quemadmodum suprema dignitas, suprema etiam auctoritas est Concilii generalis.

III.

Sive spectemus auctoritatem illius, cujus est particularia Concilia convocare, sive spectemus jura, aut onera illorum, qui possunt, aut debent Conciliis particularibus intervenire; eædem servandæ sunt æquabiliter regulæ, quæ Conciliis œcumenicis normam præbent. Ergo qui nationi præest sub titulo Patriarchæ, aut Primatis, nationale; qui provinciæ præest sub titulo Metropolitani, aut Archiepiscopi, provinciale; qui diœcesi præest Episcopus, diœcesanum Concilium

con-

convocant. Ergo ſinguli nationis Epiſcopi ad nationale, & ſinguli provinciæ Epiſcopi ad provinciale Concilium & convocandi ſunt, & accedere tenentur. In loci deſignatione æquabilis ratio habenda erit, quemadmodum occurrit, ubi generale Concilium ſit celebrandum, uti dictum ſuperius eſt tit. 2. num. 4., quod maxime obſervandum, ſi de nationali Concilio agatur. Etiam in provinciali Concilio fere obtinuit, ut in metropolitana, ſicut in diœceſano, ut in cathedrali Eccleſia celebretur. Præter Epiſcopos, ad hæc omnia Concilia & convocantur, & interveniunt clerici plures, præſertim ut prudentia ſua, & conſilio definitiones Epiſcoporum adjuvent. Hanc ob cauſſam, ſi de nationali Concilio agatur, ſelecti ſemper fuerunt eximii viri de tota natione, atque inter iſtos ii præſertim, qui conſpicuas in patriarchali, vel primatiali Eccleſia dignitates gerunt. Si de provinciali Concilio agatur, ſeliguntur viri ex ſingulis cathedralibus Eccleſiis, quales præſertim ſunt, qui Capitulum cathedralium earundem componunt. In Concilio diœceſano interveniunt præter Capitulum cathedralis Eccleſiæ, etiam Capitula collegiatarum, ſinguli quoque Parochi, ceu præcipui animarum Rectores, & Epiſcoporum adjutores

in

in plebibus; ut plurimum etiam quotquot ſunt in beneficiis eccleſiaſticis conſtituti, quamquam in modo conſilii, conſenſuſque præſtandi, non omnium æqua ratio habeatur, ſed moribus ſingularum regionum indulgeatur.

Ubi quidam Archiepiſcopi ſunt nomine, ac dignitate tenus, ideſt nec provinciam habentes, nec ſuffraganeos Epiſcopos, eligunt ſibi provinciam ut plurimum finitimam, ad cujus provinciale Concilium accedere & poſſint, & debeant.

Similiter ſi quidam Prælati ſint Epiſcopo inferiores, nec jus habeant diœceſani Concilii convocandi, licet exemti ſint, tenentur accedere ad Synodum diœceſanam finitimi Epiſcopi.

Exemti quoque in diœceſi conſtituti & ab Epiſcopo convocandi ſunt ad Synodum diœceſanam, & ad hanc accedere debent, quoties certa capita definienda ſint, quorum definitio illorum interſit.

Archiepiſcopo impedito, aut deficiente, obtinuit, ut ſenior ex ſuffraganeis Epiſcopis Concilium provinciale convocet, & in eo præſit.

IV.

Olim frequentia erant Concilia & provincialia, & diœcesana, adeo ut quandoque præceptum fuerit, ut eadem bis singulis annis celebrarentur. Hodie ex disciplina Tridentini Concilii in cap. 2. sess. 24. de ref. cautum est, ut singulis saltem trienniis provincialia, & singulis saltem annis diœcesana Concilia celebrentur. Optarunt viri prudentes, ut hæc disciplina paratam executionem juxta formam sacrorum canonum habuisset.

V.

Caussæ, quæ in Conciliis particularibus dirimendæ sunt, eædem propemodum recenseri possunt, quæ Conciliorum generalium judicio subsunt. Et primo quidem fidei zelus, quo damnentur hæreses, & schismata; secundo zelus doctrinæ morum, quo coërceantur abusus, pravæque omnis generis doctrinæ; tertio disciplinæ ecclesiasticæ moderatio, ex qua & doctrina fidei, & doctrina morum communiri solent; denique frequentior caussa agnita fuit apud veteres, judicium quoddam grave de factis clericorum, imo & Episcoporum, si forte isti cuiquam graves fuissent, aut injuriam intulissent.

Acta veterum Conciliorum id totum abunde demonstrant, adeo ut etiamsi de

caussa

caussa fidei ageretur, quæ omnium gravissima est, vix demonstrari possit suborta hæresis quædam, quæ non in particularibus primum Conciliis discussa fuerit, atque damnata. Tantum notandum est horum Conciliorum judicia novis majorum Conciliorum judiciis obnoxia fuisse, ac potuisse in melius reformari cognita caussa. Eam ob rem dici belle potest, ubi definitio Synodi particularis ad dogmata fidei pertineret, definitionem quidem ipsam in fide versari, non tamen definitionem esse de fide, propterea quod necdum generalis esset totius Ecclesiæ, & adhuc Ecclesiæ judicio subjaceret.

TITULUS IV.

DE COLLEGIO CARDINALIUM,

Et de Congregationibus Urbis Romanæ.

I.

QUÆCUMQUE Ecclesiæ particulares, ex quibus universa Ecclesia coalescit, suum habent sub suo Antistite cœtum clericorum, quorum consilio geritur cura sacrorum. Sic Ecclesia a Christo tanquam collegium amplissimum instituta, nec collegium esse definit in singulis suis partibus; atque

ita

ita comparata eſt ſacra hierarchia , ut ex collegiis particularibus in ſingulis diœceſibus inſtitutis componi queat collegium generale omnium diœceſeon. Præprimis hoc ſingulare collegium agnoſcitur in Eccleſia Romana omnium matre, ac principe, quod hodie appellatur collegium Cardinalium opera ſua, ac conſilio Pontificem Maximum adjuvantium.

II.

De nomine *Cardinalis* viri eruditi dimicant. Nec nimium antiquum, nec nimium recens in Eccleſia eſt; nec conſtans fuit ejus uſurpatio ad idem ſignificandum. Derivata vox eſt a verbo *incardinare*, quod idem ſonat, ac *inſerere*, *adjicere*, *immittere*. Si ergo clericus quidam, ideſt aut ſacerdos, aut diaconus Eccleſiæ alicui inſerebatur, is dicebatur incardinari, ſeu fieri illius Eccleſiæ clericus, ſacerdos, diaconus cardinalis. Frequentius dicebatur de clericis, qui a ſuis Eccleſiis injuria temporum ejecti, in aliis Eccleſiis recipiebantur. Quidquid tamen ſit in conſpectu veterum formularum, hodie circumſcripta eſt nominis ſignificatio ad indicandos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui certos titulos in Romana Eccleſia gerunt, & unum quodammodo corpus conſtituere dicuntur cum Pontifice Maximo.

III.

III.

Priſcis Eccleſiæ ſæculis hoc collegium coaleſcebat ex univerſis Romanæ Eccleſiæ clericis, quemadmodum etiam obſervabatur in collegiis omnium cathedralium Eccleſiarum. Atque illud collegium modo amplius erat, modo anguſtius pro merito, & qualitate cauſſarum dirimendarum. Si enim cauſſæ leviores eſſent, iſtæ dirimebantur a Pontifice Romano conſilio clericorum Romanæ urbis, ac diœceſeos: ſi graviores eſſent, iſtæ dirimebantur a Pontifice Romano conſilio etiam Antiſtitum Romanæ provinciæ, aliquando inſuper finitimarum provinciarum, præſertim Italiæ. Habebat ergo Romana provincia ſuas urbes Epiſcopales Romæ ſuffraganeas. His præfecti Antiſtites dici propterea potuerunt Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Ipſa Romana urbs præter Pontificalem Eccleſiam habebat plures titulos aut ſacerdotales, ſeu presbyterales, aut diaconales. Titulis ſacerdotalibus præficiebantur Presbyteri, qui ibidem ſacra facerent, & Sacramenta adminiſtrarent. Titulis diaconalibus præficiebantur Diaconi, qui ibidem patrimonium, ſeu facultates, reſque omnes temporales Romanæ Eccleſiæ adminiſtrarent, inque pias cauſſas tribuerent. Hiſce titulis præfecti vocati ſunt Romanæ Eccle-

Ecclesiæ Cardinales Presbyteri, aut Diaconi. Ergo triplex constitutus est Cardinalium ordo, nimirum Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum.

Qualiscumque fuerit pro temporum varietate Cardinalium numerus, hodie definitus ita est, ut sit septuagenarius. Videlicet sex sunt Episcopi suburbicarii, quinquaginta Presbyteri, titulos habentes sacerdotales, & quatuordecim Diaconi, titulis diaconalibus præfecti.

IV.

Cardinales ita constituti hodie conficiunt præcipuum Romanæ Ecclesiæ clerum, ac senatum, & quamquam olim omnes Romanæ Ecclesiæ adscriberentur ita, ut in Romana Ecclesia residere tenerentur; hodie tamen obtinuit ut aliarum Ecclesiarum longe lateque diffusarum clerici etiam majores, ceu Episcopi, adlegerentur, propterea quod eorum consilio multa universæ Ecclesiæ negotia tractanda essent, non facile dirimenda nisi suffragiis eorum, qui plurium Ecclesiarum jura, & consuetudines callere apprime valerent; juxta illud Bernardi in lib. 4. de considerat. cap. 4. *An non eligendi de toto orbe orbem judicaturi?*

V.

V.

Multa Cardinalibus concessa privilegia sunt. Ut enim omittam, quæ in habitu, & incessu singularia obtinuerunt, quæque jura explicare potuerunt, dum singulari Pontificis Maximi legatione fungerentur, certum est, illos omnes in suis titulis quasi Episcopalem jurisdictionem nactos fuisse. Ipsi prætereа soli hodie Pontificem Maximum eligunt; imo & ex ipsorum cœtu Pontifex Maximus eligi solet. Et, quod maximum est, Sede Pontificia vacante, Romanæ ejusdem Sedis jura administrant ea forma, ac ratione, quæ Pontificiis constitutionibus definita est.

VI.

Quando vero Pontifices Maximi in gravibus negotiis Cardinalium opera, & consilio utuntur, consueverunt iidem Pontifices Maximi varia munera inter Cardinales tribuere, institutis pluribus Cardinalium Congregationibus, ut sic certa officia inter ipsos partirentur. Ad spirituale Romanæ urbis regimen instituta fuit Congregatio *Visitationis Apostolicæ*. Ad ejusdem Romanæ urbis politiam spectat erectio duarum Congregationum, quarum una dicitur *Consulta*, sive *super consultatione negotiorum status ecclesiastici*, altera

boni regiminis. Aliæ plures Congregationes ſpectant regimen univerſæ Eccleſiæ, inter quas memoratu dignæ ſunt, Congregatio *Conſiſtorialis*, Congregatio *Interpretum Tridentini Concilii*, Congregatio *Inquiſitionis*, Congregatio *Indicis*, Congregatio *ſuper negotiis Epiſcoporum*, & *Regularium*, Congregatio *immunitatis*, Congregatio *Indulgentiarum*, & aliæ.

Qui ſeriem harum Congregationum, & jura ſingulis adtributa noſſe velit, adeat Cardinalem De-Luca in Tractatu de relatione Curiæ Romanæ.

TITULUS V.

DE CAPITULIS CATHEDRALIUM ECCLESIARUM.

I.

QUUM primum deventum eſt ad diviſionem diœceſeon, & ſingulis Eccleſiis civitatenſibus ſui dati Epiſcopi ſunt; tum operæ pretium fuit, ut ſingulis Epiſcopis cœtus clericorum accederet, quaſi ſenatus quidam Presbyterorum, in quo provide, ſalubriterque rebus eccleſiaſticis conſuleretur. In hunc cœtum relati fuerunt clerici omnes majores quotquot etiam in tributionem venerant mu-

neium

nerum dioecesanorum, Parochos præprimis dico, & Sacerdotes universos Parochorum adjutores. Paullatim exclusus est clerus dioecesanus, & universa jura clericis civitatensibus accreverunt. Imo & clerici cathedrali Ecclesiæ adscripti ceteros etiam civitatenses clericos excluserunt, præsertim ubi clerici cathedrali Ecclesiæ adscripti communem vitam una cum Episcopo iniverunt, sub certa regula, ex quo *Canonici* quasi viventes sub regula, & in elenchum cathedralis Ecclesiæ relati, nuncupati fuerunt. Hunc cœtum appellavere Capitulum. Ad hunc cœtum a sæculo præsertim duodecimo pertinere cœperunt omnia fere jura, quæ olim clericis omnibus in communi competebant; videlicet Episcopo ferre consilium, & suffragium suppeditare, ubi Episcopus viveret, mortuo autem Episcopo, aut quomodolibet vacante Episcopali Sede, ea gerere, quæ ad Episcopalem jurisdictionem pertinerent.

Ceterum multa in hac re modum acceperunt ex variis statutis, aut consuetudinibus cathedralium singularum, item ex præscriptionibus, aut transactionibus initis inter Episcopos, & Capitula, similibusque singularibus juribus, ac placitis, quibus contentiones omnes facile averterentur.

II.

Hæc forma regiminis non cathedrales modo, sed etiam archiepiscopales, primatiales, ac patriarchales Ecclesias moderata est. Eam ob rem, quæ Capitulis incubuit sollicitudo in Ecclesias, & res diœcesanas in cathedralibus, similis sollicitudo incubuit in Ecclesiis metropolitanis, primatialibus, ac patriarchicis, Capitulis earundem Ecclesiarum erga Ecclesias, resque omnes ecclesiasticas suffraganeas; quasi potestas non tam Archiepiscopo, Primati, aut Patriarchæ, quam Ecclesiis ipsis archiepiscopalibus, primatialibus, & patriarchicis concessa foret in iis caussis, quæ jurisdictionem metropoliticam, primatialem, aut patriarchalem spectarent, exemplo plane Romanæ Ecclesiæ, quemadmodum in præcedente titulo dictum est.

III.

Capitula quæcumque constant pluribus clericis, quorum alii dicuntur in dignitate, alii in personatu constituti, alii simplex officium singulare gerentes, alii communi fungentes officio, Canonici nuncupati. De his satis dictum est in libro præcedente tit. 9. Satis erit heic adjicere, contingere aliquando, ut dignitates non censeantur esse de gremio Capituli, proindeque juribus non gaudeant

deant Capitulo competentibus. Hac in re habetur ratio statutorum, ac morum singularium uniuscujusque Ecclesiæ. Solent præterea esse in cathedralibus Ecclesiis alii clericorum ordines inferiores ad minora quædam officia ecclesiastica gerenda. Clerici isti nec Capitulum componunt, nec ad jura capitularia admittuntur, nisi quibus in caussis aliud obtinere demonstretur.

IV.

Recentioribus sæculis cautum fuit, ut cum cathedralis Ecclesia vacaret, administratio ecclesiasticarum rerum, seu jurisdictio, non a toto Capitulo exerceretur, sed a Vicario a Canonicis electo, quem propterea Vicarium Capitularem appellaverunt. Quandoque, sed extra ordinem, deputatur Vicarius a Pontifice Maximo, qui proinde Vicarius Apostolicus nominatur.

Novam hanc rationem postulavit utilitas Ecclesiarum, quibus magis expediebat per unum res ecclesiasticas administrari, quam plurium opera, & ministerio.

TITULUS VI.

DE CAPITULIS COLLEGIATARUM ECCLESIARUM.

I.

QUÆ Ecclesiæ certum clericorum collegium habent, cathedrali, seu episcopali Ecclesia inferiores, eæ collegiatæ appellantur. Clerici autem in ipsis merentes, exemplo clericorum merentium in cathedrali, in *Capitulum* coalescunt.

A conventu clericorum eæ Ecclesiæ quoque appellantur conventuales.

II.

Non omnium conventualium, seu collegiatarum Ecclesiarum una eademque ratio est. Sunt enim quædam, quæ proxime accedunt ad naturam, & indolem cathedralium, cujusmodi sunt, quæ nullum quidem habent Episcopum, sed reguntur a Prælato episcopalem jurisdictionem habente, cum qualitate, ut ajunt, nullius diœcesis. Porro istarum Ecclesiarum Capitula eisdem juribus gaudent, quibus Capitula cathedralium, adeout etiam succedant in jurisdictionem Prælati, quotiescumque Prælati dignitas vacet. Sunt aliæ, quæ non adeo accedunt ad naturam, & indolem cathedralium, sed in multis tanquam cathedrales habentur

bentur, nimirum si regantur a Prælato jurisdictionem episcopalem habente, in diœcesi Episcopi certis finibus circumscriptam. Istarum Ecclesiarum Capitula dignitate Prælati vacante non succedunt in jura Prælati, utpote quæ diœcesano Episcopo accrescunt: interea tamen unacum Prælato suo, si par sit, jura Ecclesiæ administrant pro modo fundationum, consuetudinum, aut probatorum statutorum, vel privilegiorum. Sunt præterea Ecclesiæ monasticæ, de quibus infra sermo recurret tit. 8., ubi agendum erit de collegiis monachorum. Sunt denique aliæ collegiatæ Ecclesiæ inferiores, in quibus collegium quidem Canonicorum est, sed sine Prælato jurisdictionem episcopalem habente, in quibus nimirum tota quantacumque est episcopalis jurisdictio diœcesano Episcopo reservatur.

III.

Collegiatæ postremi hujus generis Ecclesiæ, & Capitula Canonicorum in iis merentium erigi consueverunt exemplo, & ad imaginem quandam cathedralium Ecclesiarum: Hinc & in istis suæ constitutæ dignitates quandoque sunt, concessa Canonicis, eorundemque collegio jura singularia, sua habent statuta, consuetudines, privilegia; eamque ob

 caussam

caussam Ecclesiis simplicibus non conventualibus, etiam parochialibus, etsi ipsæ non parochiales præferuntur.

Inde factum est, ut quo tempore cathedralis Ecclesiæ Canonici totius diœcesani cleri jura sibi vindicaverunt, nonnisi serius potuerint excludere Canonicos collegiatarum Ecclesiarum, præsertim si in civitate degerent; horum enim collegia, ceu corpora communi spiritu ducta tenacius suis juribus incumbebant.

IV.

Collegiatarum Ecclesiarum erectiones frequentiores esse cœperunt sæculo Ecclesiæ duodecimo, quo nimirum tempore canonibus Conciliorum, & Pontificum Maximorum sollicitudine omnis industria adhibita est, ut clerici vitam communem inirent. Hæc vita communis instaurata est in Ecclesiis intra urbes celebrioribus extra cathedralem erectis, item in Ecclesiis erectis in oppidis frequentioribus, ubi par esset numerus clericorum.



TITULUS VII.

DE SEMINARIIS, ACADEMIIS, ET SCHOLIS.

I.

CERTAS ſcholas olim fuiſſe in cathedralibus præſertim Eccleſiis, eccleſiaſtica antiquitas docet. Inſtituebantur in iis clerici juniores in Divinis literis, in bonis artibus, quæ Divinarum literarum ſcientiam promovent, ac juvant; item in iis, ſine quibus diſciplina eccleſiaſtica conſiſtere minime poterat. Exemplo cathedralium ſcholæ quoque inſtitutæ æquabiliter fuerunt in collegiatis, imo & in ſimplicibus quibuſdam Eccleſiis, quibus certus clericorum numerus adſcriptus eſſet.

Ergo præter ſcholas bonarum artium, ceu grammaticæ, rethoricæ, ac computorum eccleſiaſticorum, erant quoque ſcholæ Theologorum; item ſcholæ Notariorum, Cantorum, & Diaconorum. Qui ſcholis bonarum artium præerat, is Scholaſticus appellabatur; qui Theologiæ tradendæ addictus erat, Theologus dictus eſt. Scholæ Cantorum præerat Cantor, ſive Præcentor, aut Succentor, ſcholæ Notariorum Primicerius, ſcholæ Diaconorum Archidiaconus.

Ut

Ut plurimum bonarum artium, ac Theologiæ Magistris, item Præfectis, Cantoribus, Notariis, & Diaconis assignatæ fuere præbendæ; quibusdam annua salaria, sive stipendia, quousque officio fungerentur; idque tum, cum clerici vitam communem non servabant, studiosis juvenibus clericis certa quoque subsidia assignata sunt pro merito singulorum ad vitæ sustentationem. Ubi vitam communem omnes clerici ducerent, & præceptores, & studiosi juvenes vitæ communis erant participes sub cura, & sollicitudine Præpositorum.

II.

Quibus temporibus, & quibus in locis curatum est, ut omnigenæ sapientiæ studia instaurarentur, publicæ sunt erectæ Academiæ sub nomine *Universitatum studiorum*, præter minora collegia, in quibus liberalium artium disciplina excoleretur. Ad has Academias, atque ad hæc collegia patuit aditus laicis æque, ac clericis. In his adjunctis adamaverunt plures Ecclesiarum Prælati, ut clerici juniores studiorum caussa ad Academias, & gymnasia publica mitterentur. Selectorum antecessorum doctrina, plurium eo convenientium æmulatio, commoda ædium in id erectarum, eosdem Prælatos commoverunt,

ut id consilii caperent. Inde factum, ut in pluribus Ecclesiis nuda remanserint nomina Cantorum, Primiceriorum, Scholasticorum; & Theologorum, idest sine officio docendi.

III.

Patres Tridentini Concilii e re ecclesiastica esse judicaverunt, si mandarent Episcopis universis, ut juniores clericos in collegium quoddam redigerent in pietate, cultuque bonarum artium, ac præsertim Divinarum literarum educandos. Hoc collegium appellaverunt *Seminarium*, quasi locum ad præparandos illos; qui deinde Sacerdotes optimi, & animarum pastores, ac duces futuri quandoque sint. Ut hoc piissimum opus erigeretur, & paupertati clericorum illuc convenientium occurreretur, nec quidquam curæ omissum est, quo in eam caussam certi Ecclesiarum redditus impenderentur, Episcoporum auctoritate, consilio, ac consensu Canonicorum æque ac nonnullorum de clero.

Sanctio Tridentini Concilii, qua & erigendorum Seminariorum ratio traditur; & erectorum cura protegitur, habetur in sess. 23. de reform. cap. 18.

TITULUS VIII.

DE COLLEGIIS MONACHORUM, CETERORUMQUE REGULARIUM, AC SANCTIMONIALIUM.

I.

ETsi primi ex Monachis solitariam vitam ducerent, paullatim tamen, præsertim a S. Benedicti temporibus, in occidentali Ecclesia in vitam communem coaluerunt. Unitas regulæ omnibus propositæ, obedientia in certum Præpositum, unitas cœnobii, in quod recipiebantur, caussam collegii constituebant. Et quamquam collegium Episcopo diœcesano subesset, certa tamen & Prælatis, & Monachis collegii jura concedebantur. Hinc & sua statuta condebant; Præpositum eligebant, & in communi res monasterii per selectos ad id curatores administrabant.

II.

Hujus generis collegia per plura sæcula prorsus fuerunt singularia, idest ita constituta, ut unum ab altero non penderet. Etsi enim multa erecta cœnobia forent ejusdem regulæ, & instituti, nihil tamen erat præter vitæ, & morum similitudinem uni cœnobio cum altero commune.

III.

III.

Paullatim factum eſt, ut quæ cœnobia ejuſdem regulæ, & inſtituti eſſent, ea in unum veluti generalem cœtum componerentur inſtar provinciæ, ac certæ gentis, exemplo Eccleſiarum cathedralium, in quibus ſuæ erant provinciæ, & nationes. Hinc quemadmodum Eccleſia quæcumque cathedralis ſubeſt metropolitanæ, metropolitana patriarchali, aut primatiali, ita fere obtinuit, ut ſingula cœnobia ſubſint cœnobio majori provinciali, ſive provinciali Præfecto, ac Præfecti collegio; denique provincialis Præfectus una cum collegio ſuo ſubſit Præfecto generali, ejuſdemque collegio. Id obtinuit præſertim, poſtquam Monachi, & Monachorum collegia eximi cœperunt a poteſtate diœceſanorum Antiſtitum.

Colligitur ex his Monachos ejuſdem regulæ, atque inſtituti, etiam late in variis cœnobiis diffuſos, plerumque unum generale collegium conſtituere, quod tamen adhuc conſtat pluribus collegiis ſingularibus,

IV.

Hinc factum eſt, ut certa qua generalis, qua particularium collegiorum jura definirentur, ceu in electionibus Prælatorum aut faciendis, aut confirmandis, in viſitationibus, in

in reſervationibus graviorum negotiorum, & ſimilibus.

Non poteſt in hac parte tradi generalis regula omnigenis Monachorum collegiis communis. Quippe ſingulis pene Ordinibus ſuæ ſunt ſingulares conſtitutiones, ad quas, prout res incidit, ſemper eſt reſpiciendum.

V.

Quando Monachi cœperunt Ordinibus clericalibus, ac Sacerdotio inſigniri, etiam conceſſa ſunt Monachorum collegiis certa jura, quæ res ſacras ſpectant. Neque in hac parte tradi generalis regula poteſt: pendent enim univerſa ex privilegiis, quæ ſingulis Monachorum Ordinibus conceſſa fuerunt. Hæc privilegia aucta in dies fuerunt, ex quo Monachi ex eremis advocati ſunt in urbes, quaſi clericorum adjutores.

V I.

Quæ de Monachorum collegiis dicta ſunt, facile protrahuntur ad collegia Regularium quorumcumque Clericorum. Iſta recentiora ſunt collegiis Monachorum: ſed exemplo collegiorum monaſticorum inſtituta ſunt. Tantum diſcrimen eſt in eo, quod Clerici Regulares initio, & vi ſuæ primigeniæ inſtitutionis clericalia munera profitentur, atque huic profeſſioni clericalium munerum vitæ monaſticæ leges adjunxerunt.

VII.

VII.

Ad Monachorum primigenium institutum magis accedunt collegia Sanctimonialium. Istæ reguntur intime a Prælata monasterio: Prælata eligitur communi Sanctimonialium suffragio: communi quoque suffragio sorores recipiuntur, & negotia monasterii dirimuntur. Interea singula cœnobia singularia sunt, nec unum ab altero pendet, etsi ejusdem regulæ, atque instituti. Collegia ipsa subesse solent Episcoporum diœcesanorum jurisdictioni: omnia quidem olim suberant; pleraque etiam hodie subsunt: quædam privilegiis, aut similibus singularibus titulis in jurisdictionem quorundam Prælatorum Regularium collata sunt, aut etiam exemta omnino ab inferiorum Prælatorum potestate, & immediate subjecta Pontifici Maximo. Ceterum adhuc in nonnullis, etiam in istis aut restituta, aut concessa singularis potestas fuit Episcopis diœcesanis.

In hac parte inspicienda semper sunt singulorum cœnobiorum privilegia, ac diuturnæ consuetudines; item recentia aut Conciliorum, aut Pontificum decreta, quibus in parte saltem restituta fuit Episcopis jurisdictio.

TIT.

TITULUS IX.

DE SODALITIIS, SEU CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

I.

Ipsi etiam Ethnici certa olim habuere collegia eorum, qui præter sacerdotes caussa religionis coirent, eademque publica auctoritate probabantur. Laudabilis inde fuit in Ecclesia laicorum hominum pietas, qui in certum collegium impetratis ab iis, ad quos pertinet, facultatibus coaluerunt, ut statis temporibus, certisque in adjunctis sese in quibusdam piis, & ad christianas institutiones exactis operibus exercerent. Hæc collegia appellavit posterior ætas *Confraternitates, seu Sodalitia Laicorum*. Difficile est definire, quo primum tempore instituta hæc collegia fuerunt. At hæc ipsa difficilis definitio temporis indicat, illa fuisse antiquissima. Certum est, jamdiu ante octavum Ecclesiæ sæculum extitisse.

II.

Ipsa quidem horum collegiorum indoles, & natura postulat, ut non solum sodales, sed & sodalitia ipsa laicorum jure censeantur, proindeque a publicis magistratibus pendeant; interea tamen quod spectat ad ritus, ordinesque sacra-

ſacrarum precum, & pietatis inſtituta, pendent a diœceſani Epiſcopi auctoritate.

III.

Solent hæc collegia condere ſua ſtatuta, ita tamen, ut probentur auctoritate ſuperiorum, nec obligent ſodales invitos: ſiquidem ad evitanda quæcumque pericula, provide jamdiu cautum eſt, ut quemadmodum quis inter ſodales adſcribi libere poteſt, ita libere in ſodalitii inſtitutiones incumbat. Eam ob rem improbatur quodcumque jusjurandum, quo ſodalis ſe ad obeunda ſodalitii officia obſtringeret. Huic proximum eſt, ſodalitia invitari quidem ſolere, ut ad publicas ſupplicationes (*proceſſiones* vocant) accedant, non tamen poſſe ab Epiſcopis obligari.



TITULUS X.

DE LOCIS RELIGIOSIS

Ad similitudinem Collegiorum erectis.

I.

CHRISTIANA illa pietas, quæ Apostolos, ac fideles omnes apostolicæ ætatis concitavit, ut passim necessitatibus inopum occurrerent, sub finem sæculi quarti id consilii suppeditavit, quo pauperibus in unum locum collectis prospiceretur. Hinc instituta collegia pauperum certis adsignatis redditibus: *Hospitalia* hodie appellant.

Varia sunt Hospitalium nomina, pro qualitate indigentium, qui in eadem recipiuntur, ceu senum, infirmorum, orphanorum, debilium: Hinc dicuntur modo *Geruntocomia*, modo *Xenodochia*, modo *Ptocotrophia*, modo *Orphanotrophia*, atque his similia.

II.

Viri ecclesiastici ex Ecclesiæ redditibus sæpe Hospitalia erexerunt: sæpe etiam laici ex bonis patrimonialibus: quandoque & ecclesiastici, & laici viri junctis studiis: hinc divisio Hospitalium in ecclesiastica, laica, & mixta. Sunt etiam Hospitalia, quæ privilegiata appellantur, vel quia in supremorum

Prin-


Principum singulare patrocinium recepta sunt, vel quod singularibus munita sunt privilegiis, ceu si certo Monachorum, aut Regularium ordini sint adnexa, & privilegiis ordinis gaudeant.

III.

Hospitalibus antiquiora sunt alia pia opera charitatis, quibus pauperum inopiæ succurritur, quin pauperes in unum veluti collegium colligantur. Hujus generis erant loculi, quos & Christus habuit, & Apostoli administrare perrexerunt: nimirum quidam rerum fungibilium, ac præsertim pecuniæ cumulus, quæ in pauperes pro singulorum indigentia tribuuntur. Hujus generis erant veteres diaconiæ, seu loca diaconica in Ecclesia, in quæ oblationes a fidelibus collectæ congerebantur, & per Diaconos jussu Antistitum pauperibus erogabantur. Etsi posteriore ætate loca hæc diaconica non adeo frequentia, ac vix conspiciantur, in horum tamen locum successerunt similia charitatis opera, etiam laicorum liberalitate erecta, inter quæ locum habent, quos vocant *Montes pietatis*, idest collecta quædam pecunia mutuo danda pauperibus indigentibus, statis legibus, statoque tempore restituenda.

IV.

Etsi viri ecclesiastici ex natura ecclesiastici peculii curam semper gerere debuerint Hospitalium, operumque piorum ex ecclesiastico peculio erectorum; adhuc tamen in certam Episcoporum curam collata sunt Hospitalia laica ex generalibus Principum legibus sanctione canonum confirmatis. Exceptio est, si in singulare Principum patrocinium recepta sint, si quoquomodo exemta, & aliorum curæ commissa, vel si aliud fundatoribus placuisset.



LIBER


LIBER III.

DE ECCLESIASTICA JURISDICTIONE.

TITULUS I.

QUID SIT ECCLESIASTICA JURISDICTIO.

I.



UUM Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam inſtituit, voluit etiam communitam Sacramentis, quibus homines & Deo reconciliarentur, & magis magiſque ſanctificarentur. Sacramentorum miniſterium voluit pendere ex Sacramento Ordinis, ex quo, veluti ex fonte Sacramenta cetera dimanarent. Hæc eſt illa poteſtas, quam *Ordinis* paſſim vocant, & quidem Divino primum jure inſtituta. Eccleſia quoque exemplo Sacramentorum a Chriſto inſtitutorum certa ſacramentalia inſtituit; & horum ſacramentalium miniſterium a Sacramento Ordinis pendere voluit; atque hæc etiam poteſtas *Ordinis* appellatur, jure eccleſiaſtico inducta. Ceteræ poteſtates, quæ in Eccleſia ſunt, aut eſſe poſſunt extra cauſſam Sacramentorum, & ſacramentalium, comprehenduntur, & veniunt ſub nomine eccleſiaſticæ juriſdictionis.

Ubi dictum est, Sacramentorum ministerium ex Sacramento Ordinis pendere, probata exceptio est in Sacramento Baptismatis, utpote maxime necessario, quod proinde sine discrimine a quocumque etiam non ordinato, imo etiam non baptizato valide, quandoque etiam licite ministratur. Sunt, qui aliam exceptionem adjiciunt in Sacramento Conjugii, qui scilicet ajunt, hujus Sacramenti ministerium ipsis conjugibus relictum esse.

Quoniam vero in Sacramento Ordinis multi sunt gradus, Divino jure definiendum fuit, quo in Ordinis gradu tributim Sacramenta conferantur, eandemque ob caussam ecclesiastico jure definiendum fuit, quo in Ordinis gradu tributim conferantur sacramentalia.

II.

Itaque quæ potestas versatur extra caussam Sacramentorum, & sacramentalium, ea jurisdictio dicitur. Non tamen inde consequitur & Sacramenta, & sacramentalia omnia sine jurisdictione rite administrari. Sunt Sacramenta, quæ nullam jurisdictionem desiderant, quæ scilicet ad unum Corpus Christi verum referuntur, qualis est confectio, & oblatio Eucharistiæ. Cetera Sacramenta, atque

que omnia ſacramentalia quamquam præcipue ex Ordine pendeant, non ab alio tamen rite adminiſtrantur, quam ab eo, qui certa præterea juriſdictione polleat, tanquam ea, quæ ad Corpus Chriſti myſticum ſanctificandum, expiandumque referuntur.

Ratio inde petitur, quod in Corpus Chriſti verum nulla Sacerdotum juriſdictio eſt; juriſdictio in Corpus Chriſti myſticum, ideſt in fideles, exercetur.

III.

Itaque juriſdictionis nomen in Eccleſia latiſſime patet, atque omnia ſacrorum adminiſtrorum officia pene comprehendit. Conciliorum celebratio, miniſtrorum electio, oblationum adminiſtratio, judicia ſacra, officiorum partitio, templorum erectio, reorum coërcitio, & multa his ſimilia, qualiacumque, & quantacumque ſint, omnia juriſdictionis eſſe dicuntur.

IV.

Inde liquet antiquiſſimam eſſe originem juriſdictionis ſacrorum, nimirum altiſſime repetendam vel ex ipſo jure gentium, quod jus Divinum poſitivum præceſſit, quamquam juriſdictio ipſa ſacrorum ſit Divino etiam poſitivo jure confirmata. Revera nulla poteſt eſſe ſacrorum ſocietas, niſi ſint, qui eidem

ſocietati præſint, & juriſdictione polleant conditioni ſocietatis accommodata. Hæc juriſdictio ante moſaicam legem fuit in ſacerdotibus gentium. Ex moſaica lege in populo Dei fuit in Aaronica tribu ex Divino præcepto. Poſt Chriſti adventum translata eſt in Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores, non quaſi nova quædam per ſe juriſdictio eſſet, ſed quaſi Divino judicio confirmata, traducta, & certis perſonis adſignata.

Ex hac altiſſima origine juriſdictionis, quæ in jure gentium cauſſas primigenias poſitas habet, colligitur juriſdictionem ſacrorum, qua in parte ſine poteſtate Ordinis exercetur, ſubjacere humanis moribus, mandatis, ſtatutis, privilegiis, & mutationibus legum.

TITULUS II.

DE ECCLESIASTICO FORO,

Sive interno, ſive externo.

I.

Etsi forum proprie dicatur locus, in quo publica judicia exercentur, ut tamen etiam judiciis eccleſiaſticis fori nomen accommodaretur, obtinuit duplex dici Eccleſiæ forum, prius internum, poſterius externum.

II.

II.

Antiſtites eccleſiaſtici duplicem habent poteſtatem. Vel enim conſulunt privatorum quorumcunque ſpirituali ſaluti; tum vero dicuntur poteſtatem interni fori explicare: vel conſulunt directo in utilitatem generalem Eccleſiæ; tum vero dicuntur poteſtatem externi fori exercere.

Fateor privatorum utilitati cohærere ſemper utilitatem publicam: & e converſo ex publica ûtilitate emergere privatorum utilitatem. Semper tamen facile eſt dignoſcere, in quonam potiſſimum publica, in quonam potiſſimum privata utilitas verſetur, ut inde diſpiciatur, quandonam externi, quandonam interni fori juriſdictio exerceatur.

Ut exempla tradam, privatæ monitiones, ipſæ etiam prædicationes, item abſolutio a peccatis, & ſimilia præcipue diriguntur in ſingularem cujuſcumque fidelis utilitatem. En poteſtatem interni fori. E contrario cenſurarum, & pœnarum indictio ad terrendos pravos homines, legum editio, deſignatio ſacrorum adminiſtrorum, præcipue diriguntur in publicam utilitatem. En poteſtatem externi fori.

III.

III.

Non omnium ſacrorum adminiſtrorum eſt utriuſque fori juriſdictio. Utramque habent Epiſcopi univerſi. Facilius Presbyteris conceditur poteſtas interni fori. Si quando Sacerdotibus Epiſcopo inferioribus, aut etiam clericis ſingulari jure tribuitur externi fori juriſdictio, id veluti inſigne privilegium habetur, ex quo dignitas conſtituitur. Hujuſmodi ſunt Vicarii Epiſcoporum, item Abbates, & Prælati inferiores numero plurimi, qui præſertim nullius diœceſis eſſe dicuntur.

TITULUS III.

Quomodo juriſdictio eccleſiaſtica adquiratur, & quando.

I.

JURISDICTIO vel ordinaria eſt, vel ſingularis, vel delegata. Ordinariam dico, quæ competit certæ dignitati ex ejuſdem primigenia dignitatis natura, & quæ ab ipſa dignitate evelli vix poteſt. Hujus generis eſt dignitas Epiſcoporum. Singularem dico, quæ competit quidem certæ dignitati ita ut cuicumque in dignitate ſucceſſori competat, non tamen vi primigenia dignitatis, ſed acceſſione quadam, veluti ex privilegio, ex conſuetudine,

dine, ex præſcriptione, aliiſve id genus ſingularibus titulis. Hujus generis ſunt dignitates Abbatum, aliorumve Prælatorum Epiſcopo inferiorum. Delegatam dico, quæ competit certo mandato, ceu Legatis, Delegatiſque Pontificiis, Vicariis Epiſcoporum, & ſimilibus.

Notanda erant hæc diſcrimina, ut via ſterneretur ad definiendum, quomodo, & quando juriſdictio adquiratur.

II.

Itaque in primis ſi de ordinaria juriſdictione quæratur, quæ competit Epiſcopis, ea ſtatim adquiritur, ac quis Epiſcopalem dignitatem nactus eſt, & quidem tanta, quanta dignitati competit primigenio jure, niſi legibus, & reſervationibus coërcita fuerit. Adquiritur autem ex jure communi Decretalium a die electionis confirmatæ, etiam ante conſecrationem Epiſcopalem.

III.

Singularis juriſdictio competens Prælatis Epiſcopo inferioribus adquiritur dignitati ex titulo ſingulari, ceu conſuetudine, præſcriptione, privilegio, & quidem tanta, quantam conſuetudo, præſcriptio, privilegium demonſtrat; niſi conſtet derogatum jure fuiſſe. Adquiritur perſonæ ſtatim ac dignitatem quis ad-

adquirit, eodem modo, quo de Episcopis dictum est.

IV.

Jurisdictio delegata adquiritur mandatis, & tanta, quanta mandatis eisdem continetur. Amittitur iis omnibus modis, quibus mandata expirant.

TITULUS IV.

DE JUDICIBUS IN ECCLESIA.

I.

SUum quoque est apud Prælatos Ecclesiæ tribunal, in quo publica quædam judicia exercentur. Hoc postulavit modo certarum caussarum qualitas, modo certarum personarum conditio.

Hoc tribunal exercetur ab iis, qui jurisdictionem habent in foro externo, sive ordinariam, sive singularem, sive delegatam, quemadmodum dictum est in §. 1. tituli præcedentis.

II.

Caussæ, quæ Judicem ecclesiasticum postulant, sunt illæ, quæ religionem ipsam spectant, ceu definitio fidei, administratio Sacramentorum, ac sacramentalium, atque his similia. In foro Ecclesiæ interno Judici ecclesiastico

clesiastico subsunt caussæ omnes, in quibus agitur de criminibus, vel delictis pœnitentia expiandis. In foro externo subsunt illa crimina, quæ etiam censuris, aut pœnis ecclesiasticis puniuntur.

III.

Personæ, quæ Judici ecclesiastico subjiciuntur, sunt clerici, & quidem ex natura judicii, si de rebus sacris, si de eorum ministerio, si de canonum observantia, si de pœnis canonicis agatur. Ex constitutionibus Principum in civilibus caussis clerici apud ecclesiasticum Judicem conveniuntur, quamquam si contra laicos agant, Judicem laicum adire debeant. In criminalibus caussis serius clerici privilegio ecclesiastici fori donati sunt; imo & si enormia crimina sint, veluti læsæ Majestatis, ne tum quidem hoc privilegio fruuntur.

De conflictu judiciorum, qua apud ecclesiasticos, qua apud civiles Judices sæpe ac sæpius disputatum est, sive ratione caussarum, sive ratione privilegii personarum. Disputationibus hujus generis ut plurimum finis impositus est initis transactionibus, ac concordatis.

IV.

Judices in Ecclesia, & in singulis diœcesibus sunt Episcopi omnes, vel qui nomine Epi-

Episcoporum jurisdictionem exercent, illorum Vicarii, pro modo mandati. Infra Episcopos judicium gerere possunt quotquot Prælati inferiores singulari titulo jurisdictionem quasi Episcopalem nacti sunt, aut etiam jurisdictionem Episcopalem, ceu Vicarii Capitulares Sede Episcopali vacante. Supra Episcopos judicium gerunt in caussis appellationum Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, ac præcipue Pontifex Maximus.

V.

Sæpe contingit, ut Pontifex Maximus constituat Judices in provinciis, ac diœcesibus nomine suo judicaturos. Olim nihil definitum erat de horum Judicum dandorum qualitatibus, dummodo doctrina, & prudentia pollerent caussæ accommodata. Bonifacius VIII. definivit non alios designandos esse Judices, quam in dignitate, vel personatu constitutos, aut saltem Canonicos Ecclesiæ cathedralis, cap. 11. de rescript. in 6. Concilium Tridentinum sess. 25. de ref. cap. 10. statuit, ut in provincialibus, aut diœcesanis Synodis viri quidam seligerentur præditi qualitatibus, quas Bonifacius VIII. constituerat, & alioquin ad id apti, quibus in posterum jurisdictio a Sede Apostolica delegaretur. Hinc isti appellati sunt Judices synodales.

TIT.

TITULUS V.

DE FORMA JUDICIORUM ORDINARIA.

I.

ORDO judiciorum ecclesiasticorum in foro externo alius olim fuit, alius hodie, & quidem jam a pluribus sæculis observatur. Olim judicia apud Episcopos duplicis generis erant; vel enim spectabant caussas suapte natura ecclesiasticas, ceu de rebus Divinis, & sacris, ac de tuenda canonum disciplina inter clericos adhibito censurarum terrore, & pœnarum ecclesiasticarum usu: tum vero in medio Sacerdotum, & Diaconorum Episcopus sedens caussam collectis suffragiis dirimebat sine strepitu, & figura judicii, sed de plano, ita ut omnia quiete, tranquille, & cum profectu omnium finirentur. In gravioribus autem caussis convocabatur Synodus diœcesana, atque in ea definitio fiebat; quandoque etiam referebatur res ad provinciale Concilium, cujus sententia judicio finis imponebatur, nisi ad majus Concilium provocaretur. Vel judicia spectabant caussas civiles, etiam clericorum, aut monachorum: tum vero Episcopi arbitros potius, quam judices agebant: nimirum ex consensu partium judicabant, atque ubi utraque pars adquievisset

quievisset Episcopali judicio, publici judices sententiam exequebantur.

De hoc Episcopali arbitrio plures extant leges in codice Theodosiano: extat etiam titulus *de Episcopali audientia* in codice Justinianæo: plura quoque statuit Justinianus in suis novellis constitutionibus, præsertim in nov. 79. & 83.

Interea sacri canones monebant clericos, ut Episcopali potius arbitrio se subjicerent, animosque suos invicem Episcopali sententiæ conciliarent, imo nec primum laicos in foro publico convenirent, nisi Episcopum certiorem de caussa fecerint.

Dixi, hanc disciplinam obtinuisse in caussis civilibus: etenim ubi de criminali caussa ageretur, & clericus crimen quoddam publicum, idest publicis legibus coërcitum, admisisset, caussa hæc criminalis magistratui publico reservabatur ad pœnam publicam infligendam. Tantum ad honorem clericalis ordinis constitutum fuit, ut clericus criminis reus, antequam pœnis publicis a magistratu publico damnaretur, Episcopali officio dejiceretur a gradu suo, idest a clero abjiceretur; quemadmodum liquet ex Justiniani novellis modo laudatis.

II.

II.

Recentioribus sæculis, præsertim postquam caussæ omnes civiles clericorum, magna etiam pars caussarum criminalium, ad Episcopale forum adductæ sunt, alia invaluit disciplina, & forma judiciorum. Imitati fuerunt Episcopi ordinem judiciorum, qui apud civiles magistratus in usu erat. Judicia synodalia nonnisi extra ordinem adhibita sunt. Soli Episcopi, vel illorum Vicarii judicis partes susceperunt.

Viri eruditi cum caussas investigarunt variatæ disciplinæ, tum plures adduxerunt. Meo judicio præcipua caussa ex eo repetenda est, quod post sæculum Ecclesiæ undecimum viri ecclesiastici cœperunt in studia civilis jurisprudentiæ incumbere, atque utriusque juris disciplinam nexu quodam componere. Gratiani collectio, & pone sequentes Decretalium codices, in quibus multa ad jus etiam civile exacta traduntur, novam hanc judiciorum formam provexerunt.

III.

Equidem inde judicia adhuc duplicis generis esse potuerunt, nimirum aut summaria, aut ordinaria. Summaria dicuntur, in quibus insuper habentur judiciorum ritus, & solennitates, dummodo ea, quæ natura judicii po-

ſtulat, teneantur, veluti citatio rei, probatio ex parte actoris, & admiſſio exceptionum ex parte rei. Sunt quædam cauſſæ, in quibus ſtatutum eſt, ut ſummario judicio procedatur, quales ſunt matrimoniales, cauſſæ mercedum, & miſerabilium perſonarum, & aliæ. Judicia ordinaria dicuntur, in quibus præter ea, quæ natura judicii poſtulat, adhibentur ritus omnes legibus præſtituti.

IV.

Tres perſonas ad judicium concurrere neceſſe eſt; nam in cauſſis civilibus demonſtrantur actor, reus, & judex; actor, qui petit, reus, qui convenitur, judex, qui ſententia litem dirimit: in cauſſis criminalibus demonſtrantur accuſator, vel qui vicem accuſatoris ſuſtineat, qualis eſt promotor, ut ajunt, fiſcalis, reus criminis inſimulatus, & judex, qui reum aut condemnet, aut abſolvat.

In criminalibus cauſſis procurator nunquam admittitur; contra in civilibus. Veteres quidem Romani etiam in civilibus cauſſis procuratorem reſpuebant. Sed inde ab ea diſciplina receſſum eſt, invecta tamen quadam juris fictione, qua tradiderunt, procuratorem eſſe dominum litis. Simplicitas recentioris ætatis ſcrupuloſas haſce fictiones vix retinere potuit, eatenus nimirum, quatenus

procu-

procurator in judicio habetur, ac si principalis ipse in judicio se sisteret.

Hinc quædam sunt, in quibus opus est, principales ipsos per se apud judicem comparere, videlicet dum de facto suo interrogantur, vel jusjurandum exigitur ab ipsis, nisi quibusdam in caussis eligant potius procuratorem speciali mandato instruere.

V.

Omnia judicia civilia (de criminalibus heic amplius non loquor; de his enim opportunius agetur in libro quinto) hanc formam ordinariam habent. Exordium fit a vocatione in jus, seu citatione rei, ut coram judice se sistat, actori petenti responsurus, & exceptiones, si quas habeat, allegaturus. Si citatio omittatur, quæcumque acta successerint odio rei, prorsus irrita sunt.

Romani veteres distinguebant vocationem in jus a citatione; atque hoc discrimen postulabat singularis judiciorum disciplina, qualis apud illos in usu erat: nimirum apud illos & persona, & officium magistratuum distinguebantur a persona, & officio judicum. Magistratus jurisdictione præditi erant. Ipsi judicem dabant, & sententiam dati judicis exequebantur. Judices tantum notionem habebant, idest potestatem cognoscendi de

 caussa,

caussa, & sententiam ferendi. Ergo primum opus erat, ut actor apud magistratum constitueret reum, ut judex designaretur: hæc dicebatur in jus vocatio. Judice constituto a magistratu, reus erat apud judicem conveniendus. Hæc dicebatur citatio. Recentioribus sæculis cum magistratus per se judicia exercuerunt, tum ea distinctio in jus vocationis, & citationis evanuit. In foro ecclesiastico vix ea distinctio locum unquam invenit.

VI.

In judiciis ordinariis citatio fit exhibita ab apparitore scriptura, & quidem exhibita reo ipsi, si inveniatur, aut relicta apud domesticos, vel vicinos, si domi reus non inveniatur, aut appensa ad fores domicilii rei, si absens sit, & ignoretur, quo loco degat. In ea scriptura non modo actoris, & rei nomina designanda sunt, verum etiam designandum nomen judicis, apud quem reus convenitur, item locus judicii, ac dies; deinde caussa est exprimenda, ob quam reus convenitur, ut inde deliberare reus queat, quid sibi agendum sit

VII.

Si reus vocatus minime compareat post tria judicis edicta, aut post unum edictum, quod unum pro omnibus dicitur, ac peremtorium, reus ipse tanquam contumax habetur. Contumacia

tumacia autem admittitur a reo, sive reus expresse profiteatur, se comparere nolle, sive dolo latitet, ne inveniatur. Contumacis pœna est, ut actor, quod petiit, consequatur, ut reus teneatur ad luendas impensas ab actore factas, ut interim actor mittatur in possessionem bonorum rei, ut reus magis magisque ad se in judicio sistendum concitetur.

VIII.

Actor cum primum ad judicem accedit, petiturus ut reus judicis auctoritate citetur, libellum debet judici exhibere. In eo actoris, & rei nomina describenda sunt, specialis exhibenda petitio, & summatim exponendæ caussæ petitionis, ut inde constet, quæ, & qualis actio proponatur. Impetrato citationis edicto, citatoque reo, actor debet iterum apud judicem se sistere, propositurus quid ipse petat, & legitimis argumentis probaturus se rite, ac juste petere. Cum reus citatus se quoque in judicio sistit, seque legitimum contradictorem actori opponit, tum dicitur fieri contestatio litis; cujus contestationis effectus præcipuus est, ut quæ actio forte temporaria foret, inde perpetua reddatur.

IX.

Tempore litis contestatæ olim fiebat juramentum calumniæ sive ab actore, sive a reo;

 ita

ita dictum, quod actor juraret se sine calumnia actionem instituisse, & sine calumnia se judicium prosecuturum; e converso juraret reus, se sine calumnia obsistere, ac propositurum eas, quæ sibi competunt, exceptiones. Hodie vero hoc jusjurandum præstari amplius non solet, forte ne frequens detur perjuriis occasio.

X.

Actoris munus est, quod contra reum proposuit, probare, nisi reus confessione sua actorem ipsum ab onere probandi levet. Hanc ob caussam admittuntur in judiciis rei interrogationes, quas appellant *positiones*, eo consilio, ut si reus fateatur, actor a probatione eximatur, si reus neget, actor probare teneatur. Probationis caussæ ad hæc summa capita reducuntur: videlicet ad instrumenta, ad testes, ad ocularem inspectionem, ad notorium, ad famam, ad præsumtionem. Probatio modo plena est, si talis sit, quæ judicis animum expleat; modo semiplena, si talis sit, quæ judicem movere quoquomodo possit, non tamen omnino persuadeat. Sæpe cum probatio semiplena est, defertur actori jusjurandum, quod suppletivum dicitur; actore autem jurante, probatio habetur, ac si plena fuisset. Ubi actor non probet, quod proposuit, reus absolvitur.

XI.

XI.

E converſo rei munus eſt, ſi quas habet contra actorem exceptiones proponere, easdemque probare: qua in parte receptum eſt, reum excipiendo quodammodo fieri actorem, ideſt probare debere exceptionis cauſſas eiſdem modis, quibus actor cauſſas actionis probare debet. Sæpe inter actorem, & reum proponuntur mutuæ petitiones; liberum enim eſt reo actorem in eodem judicio reconvenire, etſi de alia re, & cauſſa agatur; & in hac parte actor nequit perſonam electi judicis declinare, etſi alias ejus judicis juriſdictioni non ſubeſſet. Si contra exceptiones actor opponere velit, ipſa oppoſitio appellatur replicatio. Atque ita per varias oppoſitiones ad cauſſæ inſtructionem utrinque contenditur.

XII.

Exceptionum reo competentium plura ſunt genera: aliæ enim ſunt declinatoriæ, veluti ſi judex ſuſpectus dicatur, aut minime competens; aliæ dilatoriæ, veluti ſi opponatur, nondum veniſſe tempus, quo actio proponi in judicio poſſit; aliæ peremtoriæ, quæ actionem prorſus elidunt, veluti ſi dicatur, jam ſolutam eſſe pecuniam, quæ debita erat, & petitur.

TIT.

TITULUS VI.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

I.

JUDICIS officium est, ut sententiam proferat, &, nisi aliud obstet, prolatam exequatur. Triplex autem est sententiarum genus: aliæ dicuntur a pragmaticis sententiæ *provisionales*, quæ litem minime dirimunt, imo vix ad caussam pertinent, de qua contenditur, sed spectant certa interim emergentia adjuncta, quibus abs judice sit consulendum. Veluti cum de caussis divortii inter virum, & uxorem disputatur, & interim judex decernit, ut vir alimenta uxori seorsim viventi suppeditet. Aliæ dicuntur sententiæ *interlocutoriæ*, quæ utiles quidem sunt ad caussam instruendam, & ad clariora reddenda litis argumenta; non tamen litem ipsam dirimunt universam; veluti cum judex pronunciat, caussas suspicionis a reo propositas inanes esse, edita instrumenta nullo vitio laborare, aut similia; aliæ denique dicuntur sententiæ *definitivæ*, quæ toti judicio finem imponunt, quibus propterea reus aut absolvitur, aut damnatur.

II.

II.

Sententia debet esse certa, a competente judice pronunciata, vocatis partibus prolata, in loco Curiæ publicata, si de ordinario judice agatur, denique in scripturam redacta. Vix opus est admonere sententiam debere esse juri consentaneam.

III.

Nisi a sententia fuerit intra tempus legitimum appellatum, eadem semper transit in rem judicatam, quæ pro rei veritate existimatur. Excipe casum, quo sententia sit ipso jure nulla, vel quo sine peccato quis sententiam exequi nequeat, quod quandoque contingit in caussis matrimonialibus.

Finge enim vero, judicem pronunciavisse, matrimonium consistere inter eos, quorum uni certo constat, se consanguineum conjugis esse. Iste non tenebitur parere judicato, cap. 7. de re judicata.

IV.

Pronunciata sententia nihil aliud superest, quam ut executioni mandetur, nisi executio suspensa fuerit interposita appellatione. Porro exequi sententiam illius est, qui sententiam pronunciavit.

TIT.

TITULUS VII.

DE APPELLATIONIBUS, QUERELIS, ET DEVOLUTIONIBUS.

I.

Non frustra constituti sunt in Ecclesia, qua minorum, qua majorum Antistitum gradus. Cum enim contingere possit, ut Prælati aut jurisdictione, qua pollent, abutantur, aut muneri suo præsto non sint, decuit maxime, ut inferiorum per superiores aut cohibeatur excessus, aut defectus suppleatur. Id fit vel appellationibus, vel querelis, vel devolutionibus. Appellatio locum habet in caussis judiciariis; querelæ fit locus, ubi caussa quædam emergat extra judicii figuram: devolutio admittitur, quoties non caussa privatorum, sed caussa publica utilitatis ecclesiasticæ versatur.

II.

Quacumque ratione aut cohibendus sit excessus, aut supplendus defectus inferiorum Antistitum, regula generalis est, proximum superiorem intercedere. Hinc si agitur de Episcopo, excitatur jurisdictio Metropolitani; si de Metropolitano agatur, Primas, vel Patriarcha officio suo præsto est; si denique agatur de Primate, vel Patriarcha, suprema Pontificis

tificis Maximi poteſtas intercedit. Cum de mandata juriſdictione ſermo ſit, a Vicario generali Epiſcopi, non Epiſcopus, ſed Epiſcopi ſuperior appellatur, propterea quod Epiſcopi, & Vicarii generalis Epiſcopalis unum, idemque tribunal eſt. At a delegato Pontificis Maximi, Pontifex idem Maximus appellatur, cum non tota juriſdictio Pontificia delegato mandetur.

III.

Itaque appellatio in primis locum habet in judiciariis cauſſis, in quibus intereſt litigantium privatorum. Appellatur ab ea ſententia, quæ definitiva eſt, non autem ab interlocutoria, niſi hæc vim habeat definitivæ, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, uti definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de ref. cap. 20. Appellatione pendente nihil eſt innovandum, adeo ut ſententia, a qua appellatum eſt, in ſuſpenſo remaneat.

Sunt tamen ſententiæ quædam, quæ appellatione non obſtante adhuc executionem habent, vel natura ſui, vel ob publicam utilitatem ex præſcripto legum. Ex natura ſui ſtatim executionem habent ſententiæ, in quibus executio a ſententia diſtingui nequit, uti contingit in ſententia excommunicationis. Ob publi-

publicam utilitatem ex præſcripto legum executionem ſtatim habent ſententiæ Epiſcoporum latæ ob morum reformationem ſine ſtrepitu, & figura judicii, præſertim tempore viſitationis. In his caſibus dicitur appellatio locum habere quoad effectum devolutivum, non tamen quoad ſuſpenſivum. Ideſt interea ſententia executionem habet, & judex, ad quem appellatum eſt, cognoſcit, an ſententia juſta ſit, eam reparaturus, ſi iniquam eſſe deprehenderit.

IV.

Appellatio primum interponitur apud judicem, a quo appellatur. Penes hunc, qui ſe læſum putat, profiteri debet, ſe appellare, & quidem intra decem dies a die publicatæ ſententiæ numerandos. Olim etiam læſus tenebatur petere apoſtolos, ideſt libellos dimiſſorios, quibus abs judice ſententiam effato ad judicem appellationis dimitteretur. Hodie apoſtoli fere ab uſu exoleverunt. Deinde interpoſita appellatio introducitur apud judicem, ad quem appellatum eſt, & quidem intra ſpatium triginta dierum. Denique ex jure ſcripto annus conceditur ad appellationem proſequendam; quamquam prudentis ſuperioris arbitrio relinquitur tempus, intra quod ſententia ferenda ſit.

V.

In iis cauffis, in quibus quis fe læfum a fuo Prælato exiftimat extra judicium, conceditur locus querelæ apud fuperiorem Prælatum interponendæ: qua in fpecie qui queritur apud fuperiorem, actoris quodammodo partes fuftinet, nemo eft, qui rei partes fuftineat. Prælatus fuperior, accepta querela, totum in fe negotium fufcipit, Prælatum inferiorem de querela privatim certiorem facit, cauffas percunctatur ab eo, & juxta accepta refponfa de querelæ, & refponforum æquitate judicat, juftitiam redditurus illi, qui conqueftus eft, fi juftam fuiffe querelam agnoverit.

Duobus exemplis rem demonftro: finge primum clericum diaconum fine cauffa a fufcipiendo facerdotio ab Epifcopo rejici. Conqueritur ille apud Metropolitanum: Metropolitani partes funt, cauffas ab Epifcopo fcifcitari; ubi nullæ fint, Epifcopum commonefacere, hortari, & fi id non fufficiat, adhibitis juris remediis adigere. Finge deinde, contracturos matrimonium habere cauffas in Concilio Tridentino probatas, quibus difpenfationem a denunciationibus ab Epifcopo poftulaverint. Ubi difpenfare Epifcopus fine cauffa renuerit, fimiliter conqueri apud Metro-

tropolitanum possunt, qui ex officio Episcopum certiorem de querela reddet, ubi legitimam esse caussam noverit, commonefaciet, atque etiam adiget.

Obiter hic adnotare juvat, querelam adhuc quandoque proponi posse apud ordinarium adversus privatos, quando scilicet quis certum opus præstare tenetur, & illi, cujus interest opus præstari, nulla potest competere actio; sic monasteria quædam, quæ neque in communi quidquam adquirere possunt, proponunt querelam penes judicem adversus eos, qui certam rem monasterio debent. Cum monasterium actione destituitur, tum judex accepta querela ex officio procedit.

VI.

Denique quandoque fit locus devolutioni, ex qua superior sponte, & nemine postulante ea peragit ex publica utilitate, quæ alias inferior agere debuisset. Id contingit, ubi inferior negligit ea onera implere, quæ sibi ex lege imposita sunt. Hinc si Episcopus negligat beneficia conferre ad sui collationem spectantia, collatio beneficiorum ad Metropolitanum devolvitur. Imo hac in specie certa in jure præstituta sunt tempora, nimirum sex mensium, ut devolutioni locus fiat.

Non est omittendum, etiam devolutionem locum habere adversus privatum, cui jure certa immineat obligatio. Hinc cum patroni Ecclesiarum debeant intra certum tempus vacanti Ecclesiæ consulere, præsentatione rectoris, negligentiam illorum jure devolutionis ordinarius supplebit.



LIBER IV.

DE REBUS ECCLESIÆ.

TITULUS I.

DE RERUM DIVISIONE IN ECCLESIA.

I.



SI utilitas commerciorum in civili ſocietate cauſſam præbuit partitioni rerum eidem ſocietati competentium; æquabilis quoque cujuſdam commercii ratio eſt in ſocietate ſacrorum, ſive in Eccleſia, unde rerum quædam diviſio profluit ſacræ eidem ſocietati accommodata. Eſt in ea in primis magnum, & ineffabile commercium, quod Deus habere cum hominibus voluit, quod Chriſtus Deus homo pepigit. Ad hoc commercium ſpectant res Divinæ, nimirum a Deo ipſo inſtitutæ, paucæ quidem numero, ſed mirabiles, ſed Divina virtute præcellentes, ſed ſatis idoneæ ad eos fines, quos Deus ipſe ſingulari clementia ſua propoſuit.

Hujuſmodi ſunt Sacramenta, quibus & nos fidem noſtram teſtemur, & ſpem noſtram erigamus in Deum, & Deus ſuperna dona ſua nobis tribuat.

II.

II.

Istud ipsum magnum, ineffabile commercium Ecclesia, potestate sibi a Christo tributa utens, promovit, nonnullis institutionibus, quæ prope res ipsas Divinas attingerent, & quodammodo imitarentur, atque ob hanc rem Divinæ certa ratione appellari possunt. Hæ sunt res sacræ. Istis Divina virtus inesse quidem potest, non sane ex expresso speciali Divini Numinis pacto, sed ex Ecclesiæ instituentis fiducia, quam maxime fovent, atque erigunt generales Christi promissiones, & concessæ facultates: ex hac caussa ego res sacras a Divinis distinguo. Ut clarius loquar, res Divinæ a Deo datæ sunt Ecclesiæ: res sacræ ab Ecclesia Deo offeruntur.

Hujus generis sunt sacramentalia, dedicationes ædium, & supellectilium, quibus ædes sacræ instruuntur ad usum sacrorum.

Ex dictis colligitur, omnes res Divinas etiam proprie sacras appellari debere; non tamen e converso res omnes sacras proprie esse Divinas.

III.

Res ipsæ seu Divinæ, seu sacræ, quibus ineffabile inter Deum, & homines commercium constat, utut spirituales sint per se, atque incorporeæ, corporalibus tamen, & sensi-

bilibus adminiculis indigent; ſive quod Eccleſia viſibilis eſſe debeat, ſive quod homo & ipſe corporeus ſenſibilibus ſignis opus habere videatur, quibus ad Divina elevetur. Hæc adminicula tertiam rerum ſpeciem conſtituunt in Eccleſia, atque has res ego appello res Divinis, ſacriſve rebus aut conjunctas, aut prope cohærentes.

Hujuſmodi ſunt ſymbola in Sacramentis, ac ſacramentalibus, materia, quibus ædes ſacræ, ac ſupellectilia ſacra conſtant, redditus Eccleſiarum, quibus ædes ſacræ, ac ſupellectilia curentur, & ſacris adminiſtris proſpiciatur.

IV.

Succedit alterum in Eccleſia commercium, quo devinciuntur fideles inter ſe, & mutuis charitatis officiis ſe ſe complectuntur. Hinc res quædam piæ in Eccleſia deſignantur a rebus Divinis, ſacriſque diſtinctæ. Pietas quidem ipſa incorporea res eſt, ſed corporalibus adminiculis exercetur; hinc res piæ rebus corporalibus adcenſeri etiam poſſunt.

Hujus generis ſunt Xenodochia, & omnis generis opera charitatis.

Non repugnat autem quaſdam eſſe res, quæ ſimul ſint & adminicula ſacrorum, & officia pietatis, uti liquet in bonis, quibus beneficia eccleſiaſtica conſtant: quippe hæc

bona

bona & Ecclesiis sartis tuendis, & instruendis sacris supellectilibus, & alendis sacris administris, & levandæ pauperum inopiæ serviunt.

V.

Et quando pietas non solum exercetur in fideles viventes, sed etiam in defunctos cum Christo capite charitate conjunctos, nostra aut officia, aut suffragia expectantes, designari debet alia species rerum, quæ vocantur religiosæ.

Hujus generis sunt Sanctorum reliquiæ, fidelium sepulturæ,& funerum officia universa.

Non repugnat autem, quasdam esse res, quæ simul sint adminicula sacrorum, & spectent aut pietatis, aut religionis in defunctos officia.

VI.

In rebus Divinis æque ac sacris; item in rebus piis æque ac religiosis, & adminiculis earum universis, præter jura communia, quæ fidelibus universis competunt, sunt etiam quædam jura singularia nonnullorum: atque ista jura efficiunt aliam rerum speciem, quæ res sunt prorsus incorporales.

Hujusmodi sunt jura electionum, jura patronatus, & similia.

VII.

Res Divinæ, ac sacræ in nullius dominio sunt. Sunt autem ad usum, & utilitatem fide-

lium omnium paratæ, ministerio, ac dispensationi sacræ hierarchiæ pro singulorum administrorum modo, & ordine commissæ.

VIII.

Res corporales, & sensibiles, quæ rebus Divinis, aut sacris cohærent, potuerunt esse in dominio aliquorum, antequam rebus Divinis, aut sacris cohærerent: postquam cohærere cœperunt, vel symbola ipsa sunt, & figuræ, quibus res ipsæ Divinæ, aut sacræ continentur; tum vero eodem jure censentur, ac res Divinæ, vel sacræ, proindeque in nullius dominio sunt, usui omnium fidelium patent, & dispensationi hierarchiæ committuntur, veluti oleum in chrismate, parietes in sacris ædibus, lapides in altari, & similia: aut sunt subsidia quædam ita comparata, ut rebus Divinis, ac sacris exterius consulatur: tum vero sunt in dominio Ecclesiæ illius, cui competunt, dispensantur ab administris ejusdem Ecclesiæ, ceu curatoribus, & in eos usus, in quos collata fuerunt, veluti bona Ecclesiarum, & fidelium oblationes.

IX.

Res piæ sunt in dominio societatis illius, cui commissæ sunt, exemplo rerum ad publica opera collatarum, quæ sunt in dominio Reipublicæ. Si res piæ conjunctæ sint rebus

sacris,

ſacris, ſeu rebus temporalibus, quæ ſacris cohærent, illæ ſunt in adminiſtratione clericorum, æque ac res ipſæ temporales, quæ ſacris cohærent. Si res piæ a rebus ſacris, vel ab iis, quæ ſacris cohærent, ſeparatæ omnino ſint, etiam ſacri adminiſtri earum curam obtinuerunt, quemadmodum ſuperius adnotandum fuit tit. 10. libri 2. Quippe de cleri ſollicitudine fiduciam magnam ſemper habuit fidelium ſocietas, rata, clericos rite res pias juxta inſtituentium propoſitum eſſe impenſuros.

X.

Res religioſæ in nullius dominio ſunt; uſui omnium eſſe poſſunt: ſunt autem in adminiſtratione eccleſiaſticæ hierarchiæ.

XI.

Denique jura ſacris, ac religioſis rebus cohærentia ſunt in dominio nullius, quippe quæ ſunt omnino extra commune commercium poſita. Tantum ſunt in uſu vel communi ſi communia ſint, ceu jura chriſtianæ communionis, vel ſingulari, ſi ſingularia ſint, & certis tantum perſonis competant, ceu jura patronorum. Quodammodo dici poſſunt in dominio noſtro eatenus, quatenus contra impedientes tueri eadem nobis poſſumus, &, ſi ſingularia ſint, poſſumus eadem vindicare contra quemcumque illegitime occupantem.

TITULUS II.

DE REBUS DIVINIS,

Ac primum de Sacramentis generatim.

I.

ETsi multæ sint in Ecclesia Divinæ virtutes, ac Divina dona, quibus ineffabile inter Deum, & fideles homines commercium agitur; qualis est inter plura, Divina prædestinatio, Divina gratia sive movens, sive adjuvans, sive sanctificans; cum tamen de rebus Divinis canonum cultores agunt, lucubrationes suas ad Sacramenta coërcent, cetera Theologis expendenda relinquunt. Itaque primum generatim de Sacramentis agendum est.

II.

Sacramentorum nomine appellantur signa sensibilia a Christo servatore instituta ad fidelium sanctificationem. Septem numero recensentur: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio Infirmorum, Ordo, ac Conjugium. Horum institutione a Christo facta, abolita fuerunt Sacramenta veteris legis ad sanctificationem judaici populi a Deo instituta.

III.

III.

Duo illa Sacramenta Ordinis, & Conjugii instituta sunt bono universitatis, cetera bono singulorum. Ex iis, quæ instituta sunt bono singulorum, quædam sunt omnino necessaria ex natura, atque institutione sui, veluti Baptismus omnibus sine discrimine, ac Pœnitentia adultis peccatoribus; quædam necessaria ex præcepto, veluti Eucharistia certis temporibus; cetera utilia omnibus, & a nemine contemnenda. Cum Sacramentum necessarium est, & suscipi ob certa adjuncta nequeat, satis est, si votum suscipiendi Sacramenti eliciatur, cum primum suscipi poterit.

IV.

Tria sunt Sacramenta, quæ semel tantum suscipiuntur, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Ista propterea dicuntur imprimere indelebilem characterem. Si prudenter dubitetur, an suscepta sint, sub conditione conferuntur.

V.

Ex Sacramentis alia hominem Deo reconciliant sui natura, veluti Baptismus, & Pœnitentia; alia hominem jam Deo acceptum magis magisque in Divina gratia confirmant. Non repugnat autem & Baptismum, & Pœnitentiam invenire jam hominem reconcilia-

tum Deo, veluti eum, qui pridem Dei amore flagret, & votum suscipiendi Sacramenti conceperit; quemadmodum nec repugnat, quandoque cetera Sacramenta primum hominem Deo reconciliare ex singularibus caussis, quæ emergere possint.

VI.

Constant omnia Sacramenta rebus, & verbis. Rem recentiores appellaverunt materiam, verba appellaverunt formam sacramentalem. Utraque, sive materia, sive forma a Christo fuit instituta. Et materiam, & formam a Christo fuisse institutam in specie in duobus Sacramentis, nimirum in Baptismo, & in Eucharistia, certissimum est. An tantum in genere, an etiam in specie a Christo instituta fuerit in ceteris Sacramentis, adhuc positum est in Theologorum disputatione.

Materia in genere dicitur signum omne sensibile, quodcumque aptum est ad significandum singularem cujuscumque Sacramenti effectum. Sic etiam dicitur forma in genere, quæ verbis conceptis apta est ad indicandas cujusque Sacramenti rationes. Materia, & forma in specie dicitur, quæ inter plures idoneas selecta est ad Sacramenti collationem.

VII.

VII.

Ut decore Sacramenta miniſtrentur, ac recipiantur, certi ab Eccleſia adjecti ſunt ritus, quos præterire nemini licet, niſi certæ, ac probatæ cauſſæ ſubſint quibuſdam in caſibus. Hinc editi libri manuales, rituales, cœremoniales, pontificales, ac miſſales.

VIII.

Sacramentorum adminiſtratio, ſeu diſpenſatio juribus ſacerdotalibus adcenſetur. Majoribus Sacerdotibus, ideſt Epiſcopis reſervatur jure Divino ſacra ordinatio majorum clericorum, item ordinarium Confirmationis miniſterium. Cetera Sacramenta miniſterio Presbyterorum commiſſa ſunt jure Divino, ceu ſolennis Baptiſmatis collatio, Euchariſtiæ confectio, oblatio, & diſpenſatio, abſolutio a peccatis, unctio infirmorum, & benedictio nuptiarum, ſi verum eſt hanc benedictionem ad formam Sacramenti pertinere. Quandoque etiam Diaconi & ſolenniter baptizant, & Euchariſtiam a Sacerdote confectam diſpenſant, ſed tanquam vicarii, & adjutores Sacerdotum. Jure eccleſiaſtico quædam Sacramenta ſunt Parochorum miniſterio reſervata, uti ſolennis Baptiſmus, Euchariſtia ſeu in Paſchate omnibus, ſeu infirmis diſpenſanda, unctio infirmorum, & benedictio nuptiarum. Singulare

gulare eſt in Sacramento Baptiſmi, ob maximam ejuſdem neceſſitatem, a quocumque etiam laico, etiam fœmina, etiam non baptizato miniſtrari valide quidem ſemper, imo & licite, ſi neceſſitas id poſtulet.

IX.

In eo, qui Sacramentum adminiſtrat, nec fides requiritur, nec probitas. Hinc hæreticus, aut improbus quiſque, valide, niſi aliud obſtet, Sacramenta confert. Requiritur tamen intentio faciendi, quod facit Eccleſia ex Chriſti inſtitutione. An interna intentio requiratur, vel externa ſufficiat, adhuc Theologi diſputant. Interea miniſter tuto non agit, niſi intentionem internam habeat.

Cum intentio ſit actus voluntatis, ſemper eſt interna ex parte miniſtri. Controverſia de intentionis internæ neceſſitate tota ſpectat miniſtri ſcopum. Cum enim in Sacramento tria ſint, primum actus ſenſibilis cortice tenus conſideratus, alterum actus ſenſibilis a Chriſto ad ſpiritualia elevatus, poſtremum effectus Sacramenti ex Divina virtute derivans; qui putant ſufficere intentionem externam, ajunt, ſufficere, miniſtrum intentionem dirigere in actum ſenſibilem cortice tenus conſideratum; qui e contrario intentionem internam requirunt, ajunt, debere

mini-

ministrum intendere insuper in actum sensibilem a Christo ad spiritualia elevatum. Intentionem directam in effectus Sacramenti minime necessariam esse, certissimum apud omnes habetur.

Distingui etiam solet triplex intentionis species, nimirum actualis, virtualis, & habitualis. Actualem dicunt, quæ elicitur, quo tempore Sacramentum administratur: virtualem, quæ pridem elicita, perseverat adhuc virtute sua, dum Sacramentum administratur, etiamsi quidquam inconsiderato incidat animo ministrantis: habitualem, quæ neque elicitur tempore administrationis, nec pridem elicita fuit, sed tantum consistit in habitu, idest in consuetudine ministrandi. Actualis intentio est omnium optima: virtualem sufficere passim traditur: habitualem omnes velut inanem prædicant.

X.

In eo, qui Sacramentum est suscepturus, si adultus sit, requiruntur eæ animi adfectiones, quæ Sacramento conveniant, ut effectus Sacramenti obtineatur: ut autem Sacramentum recipiatur, & Sacramenti character, sufficit intentio saltem virtualis. Exceptio est in Sacramento Pœnitentiæ, in quo nec Sacramentum quidem est, ubi pœnitens rite dispo-

dispositus non sit, propterea quod dispositio pœnitentis ipsa est Sacramenti materies. Si infans sit, qui Sacramenta suscipit, ne intentio quidem requiritur; intentionem enim pro eo supplet Ecclesia mater, quemadmodum contingit in Sacramentis Baptismatis, & Confirmationis.

Hinc receptum est, adultos non quidem invitos, & reluctantes, sed metu adductos ad Baptismum recipiendum, etsi alias non reciperent, adhuc tamen valide baptizari, cap. 3. in fine de Baptismo.

TITULUS III.

DE SACRAMENTIS BAPTISMI, ET CONFIRMATIONIS.

I.

OLIM quo tempore Baptismus conferebatur, eodem conferebatur Confirmatio sive parvulis, sive adultis. Huic utrique collationi occasionem præbebat vetusta disciplina, juxta quam sicuti Confirmatio, ita Baptismus in ordinario Episcoporum ministerio erat. Quod si necessitas quemquam baptizari postularet absente Episcopo, tum Confirmatio in aliud tempus differebatur. Recentioribus sæculis distincta Sacramenti utriusque col-

collatio fuit; sive quod Baptismus conferri infantibus cœperit, & satius visum est, Sacramentum Confirmationis differri in illud tempus, quo baptizati ad usum rationis pervenerint; sive quod baptizandi munus esse cœpit proprium Parochorum, qui Sacramentum Confirmationis administrare non possunt.

Nihilominus in sacris canonibus Confirmatio adhuc appellatur Baptismi perfectio, ac complementum.

II.

Per Baptismum Christo regeneramur. Res Sacramenti ex aqua constat, quæ ex ritu Ecclesiæ benedici solet statis diebus. Verba sacramentalia sunt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Veteres solebant baptizandos in aquam immergere, eam ob rem fontes habebant baptismales a sacris ædibus separatos, in quos descendebatur. Raro ab immersione abstinebant, aquæ infusione contenti. Aliquando aquæ adspersione baptizavisse, sed perquam raro, multi censent. Hodie aquæ infusione Baptismus persici solet. An valeat Baptismus in nomine Christi, sine expressa Sanctæ Trinitatis invocatione, Theologi adhuc disputant. Verosimilius est, non valere, propterea quod in Evangelio præceptum a Christo legitur,

gitur, baptizandum esse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Si cui negotium facessat canon *A quodam* 24. de conf. dist. 4., adeat meas lucubrationes in codicem Gratianeum.

III.

Olim soli Episcopi solenniter baptizabant statis certis diebus, videlicet Sabbato, quod præcedit sanctum Pascha, item Sabbato, quod præcedit diem Dominicam Pentecostes. Superest hodie hujus disciplinæ vestigium in benedictione fontium baptismalium. Ubi Episcopus impediretur, aut deesset, Archipresbyteri eo munere fungebantur. In quibusdam Ecclesiis etiam in die Epiphaniæ solenniter Baptismus conferebatur, ob memoriam recolendam Christi eodem die in Jordane baptizati. Paullatim officium baptizandi ad Parochos omnes traductum est, atque hodie inter jura parochialia recensetur, quin tamen certi amplius dies adsignentur, necessitate urgente Baptismi ministerium cuicumque, & quocumque tempore & olim concessum est, & hodie conceditur.

IV.

Quando Baptismus maxime necessarius est, salubriter caveri debuit, ut non diutius, præsertim imminente periculo differatur. Hanc ob

ob caussam infantes recens nati baptizantur. Si de adultis agatur, solerter primum erudiendi in fide sunt, exploranda eorum voluntas, & certa catechumenatus tempora absolvenda, nisi periculum vitæ aliud postulet.

Olim catechumeni adulti variis exorcismis expiari solebant, quibus ad Baptismum præparabantur. Hodie adhuc exorcismi adhibentur, una cum ceteris ritibus, sed eo ipso tempore, quo Baptismus confertur. Si baptizandus in discrimen vitæ adductus sit, statim baptizatur, omissis ritibus, & exorcismis, quos inde supplent Parochi cessante periculo.

V.

Solebant apud veteres ab Ethnicorum superstitionibus & adulti, & pueruli ad Baptismum adduci. Ne vero aut fictionibus locus esset, aut apostasiæ periculum foret, baptizandis accedebant fidejussores, quos appellabant susceptores: posterior ætas patrinos, aut matrinas appellavit. Sæpe plures hoc officio functi sunt: Concilio Tridentino cautum est, ut unus tantum, & altera ad summum hoc munus obeant. Imperatores christiani statuerunt, inter susceptores, & susceptos cognationem spiritualem intercedere, quæ cognationis naturalis exemplo matrimonia impediret.

pediret. Sacri canones id confirmaverunt. Scholaſtici hanc cognationem extenderunt ad baptizantes, ad filios ſuſceptorum, ad ſuſcipientis uxorem, vel maritum, quæ omnia diuturna conſuetudo probavit. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de ref. matrim. ad certas perſonas eo decreto expreſſas cognationis ejuſdem jura coërcuit; cap. 2.

VI.

Sacramento Confirmationis Baptiſmus perficitur; in eo enim infunduntur Divini Spiritus ſacra chariſmata, quibus anima magis magiſque in fide firmatur, ac roboratur. Hujus Sacramenti collatio Epiſcopis reſervatur. Ad hoc admittuntur, qui ad uſum rationis pervenerint. Intercedunt quoque ſuſceptores, quin tamen ulla ſpiritualis cognatio contrahatur. Verba ſacramentalia ab Epiſcopo recitantur juxta formam in Pontificali præſtitutam. Res Sacramenti eſt manuum impoſitio Epiſcopalis, ac inunctio cum chriſmate ab Epiſcopo benedicto. An manuum impoſitio, an potius inunctio ad Sacramenti ſubſtantiam pertineat, adhuc Theologi diſputant. Utraque adhibenda eſt; ſi alterutra omittatur, caute ſupplendum ſupereſt quod fuerat prætermiſſum, uti legimus in cap. 1. de Sacramentis non iterandis.

TIT.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

I.

CONSECRATIONE panis, & vini adhibitis Christi Domini verbis Sacramentum Eucharistiæ conficitur. Panem triticeum esse oportet, sive azymus sit, sive fermentatus. Ecclesia Græca usque adhuc fermentato utitur. In Ecclesia Latina jamdiu præceptum est, ut azymus adhibeatur. Vino aquam infundi perennis ritus fuit, quod ex Divina traditione nonnulli ex Patribus derivaverunt. Hoc Sacramentum dignitate sua cetera antecellit, propterea quod continet in se Corpus ipsum, & Sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini.

II.

Olim dispensabatur Eucharistia non solum fidelibus provectis, sed recens baptizatis quibuscumque etiam infantibus, eo ipso tempore, quo conferebantur Sacramenta Baptismi, & Confirmationis. Si de infantibus ageretur, ministrabatur Eucharistia sub sola specie vini ad labia admoti. Adultiores sub utraque specie communicabant, nisi certis in casibus decuisset solam speciem panis accipere, veluti cum Eucharistia ad absentes mittebatur.

Hodie jamdiu obtinuit, ut laici omnes sola panis specie contenti sint, & tantum communicare sub utraque specie & possint, & debeant Sacerdotes Eucharistiam conficientes. Etenim qui Eucharistiam conficiunt, uti Divino jure sub utraque specie conficere debent, ita Divino jure debent utramque speciem sumere. Ceteri quamquam a specie vini abstineant, adhuc de Corpore, & de Sanguine Domini communicant, cum Christus totus in alterutra specie contineatur.

Quare salubriter cautum fuerit, laicos, & ceteros non celebrantes abstinere debere a specie vini, omnibus notum est.

III.

Est Eucharistia & Sacramentum, & Sacrificium. Sacramentum consistit in statis rebus, & verbis. Singulare est in hoc Sacramento, ut permanens sit; facta enim consecratione, manet Corpus, & Sanguis Christi ad dispensationem. Sacrificium consistit in confectione, & oblatione. Integrum Sacrificium est, cum facta consecratione, & oblatione, Sacerdos communicaverit. Sacrificium & viventibus prodest, & defunctis, nec distinguitur a Sacrificio, quod Christus ipse Dominus obtulit Patri in cruce, cum eadem victima sit in Eucharistia exhibita utut aliis symbolis demonstrata,

ſtrata, idem etiam Chriſtus, qui ſe Deo Patri pergit per ſuos adminiſtros offerre. Sacrificium iſtud ſoli Sacerdotes offerunt. Sacramentum diſpenſare etiam poſſunt Diaconi tanquam Sacerdotum adminiſtri, ſeu adjutores.

IV.

In Sacramento Euchariſtiæ ceu permanente tria contingunt, diſpenſatio, publica expoſitio, & ſolennis ad cultum publicum circumgeſtatio. Diſpenſatio hodie fit ſolis adultis, cum ad eam ætatem pervenerint, qua conſcii eſſe poſſint de tanti Sacramenti dignitate. Adultis omnibus inculcandum eſt, ut quam optime poſſint, digne ac devote ad Sacramentum accedant, curentque, ut quam frequentius etiam fieri poſſit, de Corpore Chriſti communicent. Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. cavit, ut ſaltem ſingulis annis Paſchali tempore unuſquiſque hoc Sacramentum ſuſcipiat. Morituris Euchariſtia, veluti magnum præſidium, danda eſt ex Divino præcepto. Hodie Paſchalis communio, & Euchariſtiæ delatio ad infirmos inter jura parochialia recenſetur. Niſi gravis infirmitas aliud ſuadeat, ſtatutum eſt, ut quiſque jejunus ad Euchariſtiam ſumendam accedat.

V.

Publica expoſitio, & ſolennis ad cultum publicum circumgeſtatio fieri cœpit initio ſæculi decimiquarti; licet enim jam olim obtinuiſſet, ut Euchariſtia cuſtodiretur, id tamen ſolum fiebat gratia infirmorum, quibus, prout morbus urgeret, ſtatim conſuleretur tanti Sacramenti collatione. Quando concedendum ſit, ut Euchariſtia aut exponatur, aut geſtetur publice ad fidelium venerationem, id totum in Epiſcoporum judicio poſitum eſt.

TITULUS V.

DE SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ, ET OLEI INFIRMORUM.

I.

ETsi Baptiſmate homines regenerentur, quod niſi ſemel contingit, quia tamen labi ex infirmitate ſolent, duo inſtituta ſunt ex Chriſti clementia Sacramenta, quibus illi reparentur, & priſtinæ, uti ita dicam, ſaluti reſtituantur. Hæc ſunt Sacramenta Pœnitentiæ, & Olei infirmorum.

II.

Dedit in primis Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus facultatem remittendi peccata. Hæc Divina virtus exer-

exercetur per Episcopos primum, deinde per Sacerdotes omnes, quibus ea potestas ab Episcopis communicetur. Duplex potestas ad id requiritur, Ordinis in primis, deinde jurisdictionis. Potestas Ordinis adquiritur vi Sacerdotalis consecrationis: potestas jurisdictionis adquiritur vel lege, vel mandato; lege, uti Parochis, ceterisque ordinariis ejus Sacramenti administris; mandato, uti iis omnibus, quibus ea facultas sit ab iis, qui jurisdictione ordinaria pollent.

Hoc Sacramentum instar judicii institutum est, proindeque sola Ordinis potestas minime sufficit; præter hanc requiritur jurisdictio.

Sunt quædam crimina, quorum absolutionem aut Episcopi, aut Prælati Episcopis majores sibi reservant. Ab his absolvere non potest inferior, nisi specialem facultatem ab eo acceperit, qui reservavit.

III.

Potestas, quæ Sacerdotibus competit in administratione hujus Sacramenti æque consistit in absolvendo, ac retinendo: quippe fundamentum habet in iis Christi Domini verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*. Cauti ergo, prudentesque esse debent Sacerdotes,

ne quæ remittenda ſunt, retineant, aut ne e converſo remittant, quæ ſunt retinenda. Ex adfectionibus reorum judicandum eſt a prudente Sacerdote, num remittenda ſint crimina, num retinenda.

IV.

Res, quæ in hoc Sacramentum venit, ſunt peccata poſt Baptiſmum admiſſa; potiſſimum autem pœnitentis adfectiones, quæ dicuntur quaſi materia hujus Sacramenti. Actus pœnitentis ſunt deteſtatio admiſſi, criminum confeſſio, & aut ſatisfactio ipſa, aut ſaltem ſatisfaciendi propoſitum. Forma hujus Sacramenti ſunt verba, quibus Sacerdos indicat, ſe reum a peccatis abſolvere.

V.

Primum eſt deteſtatio admiſſi, quæ debet eſſe ſincera; juncta cum propoſito non peccandi de cetero, item elicita ex cauſſa ſupernaturali, qualis eſt amor Dei. An ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat deteſtatio peccati ex metu gehennæ, an requiratur inſuper elicitus amor in Deum, Scholaſtici diſputant. Tutius inde agit, qui amore Dei concitetur ad pœnitentiam peccatorum, eo etiam laudabilius, quo preſſius Divinæ literæ univerſæ urgeant graviſſimum præceptum amandi Deum. Ceterum dolor delictorum ex metu

gehennæ

gehennæ conceptus bonus in se est, & certe valet ad disponendum hominem ad Pœnitentiam.

VI.

Necessaria quoque est criminum confessio, saltem illorum, quæ gravia sunt. Quomodo enim dijudicare Sacerdos poterit, an absolvendum sit a criminibus, an crimina retinenda, si de criminum & qualitate, & quantitate Sacerdoti non constet? Ne rei criminum ab hac confessione abstraherentur, docemur ab Ecclesia Divinis oraculis illustrata, confessionem esse oportere secretam, quam propterea auricularem vocant, eandemque ob caussam Sacerdotem, apud quem quis confessus sit, nemini crimina pandere posse.

VII.

Denique necessaria est aut satisfactio, aut saltem satisfaciendi propositum. Quippe etsi per absolutionem & peccata remittantur, & reus in Divinam gratiam restituatur, remanet tamen aliquid, in quo & Deo, & Ecclesiæ satisfaciendum est, quod fit piis operibus, ceu eleemosynis, jejunio, & exercitatione animi in optimis institutis, ac præsertim orationibus. Per hæc, siquæ adhuc supersunt, imæ criminum radices in animo contunduntur.

VIII.

Tria hæc, quæ, uti dictum est, sunt Sacramenti quasi materies, sensibilia esse debent. Quid vero, si ex fato quodam sensibilia esse non possint, velut in eo, qui morbo corripiatur ita, ut penitus a sensibus abstrahatur? Quæ signa sensibilia infirmus præbuerit intimi doloris, & propositi satisfaciendi Divinis mandatis, cum convaluerit, loco materiæ esse poterunt, ut absolutio concedatur. Si nec sensibilibus signis infirmus animum pandat, bene anteactæ vitæ præsumtio locum adhuc facere poterit absolutioni sacerdotali. Memor tamen debet esse Sacerdos in his casibus, se concipere debere absolutionis formulam sub conditione, si infirmus ad Sacramentum suscipiendum dispositus sit.

IX.

Dolor de admissis criminibus, & propositum non peccandi de cetero ita necessaria sunt ad Sacramentum, ut sine iis inanis absolutio sit. Confessio peccatorum tum est necessaria, cum fieri potest. Satisfactio ipsa inducit quidem Sacramenti integritatem, sed adhuc Sacramentum sine ea consistit, dummodo tamen sit satisfaciendi propositum, sine quo nulla unquam Sacramenti vis esse potest. Qui proposuit, se satisfacturum, aut satisfa-

cere

cere deinde per ſe debet, aut adjuvari meritis Chriſti, & Sanctorum ex diſpenſatione Eccleſiæ, quam diſpenſationem vocant conceſſionem indulgentiarum. Si necdum Deo ſatisfecerit, & moriatur, debet in altera vita peccati reliquias expiare in loco, quem purgatorium Eccleſia appellat. Atque hoc etiam in loco adjuvari quis poteſt orationibus, piiſque operibus fidelium, imo & conceſſione indulgentiarum, per modum, ut ajunt, ſuffragii.

X.

Apud veteres emerſerunt olim libri nonnulli Pœnitentiales, ita dicti, quod deſignarent, quæ, qualis, & quanta ſatisfactio pro ſingulis pene criminibus immineret. Iſti erant veluti norma quandam Sacerdotibus abſoluturis. Multi quidem a ſanctis, doctiſque Patribus concinnati fuerunt; multo plures ab obſcuris viris, imo & qui ſanctos, prudenteſque viros auctores habuerunt, fuere corrupti. Opportunum fuit recentiore ætate eos libros omnes abrogare, indeque factum, ut ſatisfactio prudentis Sacerdotis arbitrio relinqueretur; arbitrio, inquam, prudentis, ne forte credatur enormia ſcelera levioribus quibuſdam operibus poſſe expiari.

XI.

XI.

Et si privata, seu occulta crimina occulta pœnitentia expiari decet, si tamen crimina publica sint, & rempublicam læserint, ea expiari oportet etiam publicis pœnitentiis. Olim certæ erant constitutæ publicorum pœnitentium stationes, quas per gradus emetiri necesse fuerat. Prima statio erat flentium, sive lugentium in Ecclesiæ vestibulo; secunda audientium, quibus communis erat cum catechumenis locus: tertia substratorum, qui Ecclesiam ingrediebantur, dummodo non ultra ambonem progrederentur; postrema consistentium, qui cum ceteris fidelibus communem locum habebant, ab Eucharistica tamen communione abstinere jubebantur. In singulis gradibus sua pœnitentiæ opera injungebantur, & sua species erat singularis christianæ communionis; siquidem pro stationis qualitate modo minora, modo majora christianæ communionis jura aut concedebantur, aut denegabantur.

Publicæ pœnitentiæ aut indictio, aut relaxatio semper fuit Episcopis reservata.

Quandoque etiam privatorum, sive occultorum criminum rei sese publicis pœnitentibus sponte ex animi demissione immiscebant. His nemo molestiam ingerebat, in

ea

ea ſtatione, in quam ſe immiſiſſent, pro lubitu remanſuri.

Hodie perraro diſciplina conſpicitur publicarum pœnitentiarum. Friguit a ſæculo Eccleſiæ duodecimo. Videntur publicorum pœnitentium rationes ſecutæ quædam laicorum confraternitates, quæ priſcorum pœnitentium habitum in Eccleſiis induerunt. Si externis indumentis reſpondeant interiores animi affectiones, erunt ſane & iſti priſcis pœnitentibus facile comparandi.

XII.

Si quis infirmatur, paratum habet ex Divina inſtitutione, juxta tradita a ſancto Apoſtolo Jacobo aliud Sacramentum, quo advocatis Presbyteris infirmus oleo ungatur, & ex quo allevietur infirmitas, & remittantur peccata. Vulgo hæc unctio dicitur extrema, quia ſupponit infirmum jam unctum olim fuiſſe oleo catechumenorum in Baptiſmate, & ſacro chriſmate in Confirmatione. Ex eo quod ex traditione Apoſtoli, Presbyteri vocandi ſint, liquet Presbyteros eſſe hujus Sacramenti adminiſtros. Diſciplina eccleſiaſtica recentior hoc miniſterium juribus parochialibus adcenſuit. Item infirmis tantum hoc Sacramentum conceditur, & quidem, ſi gravis infirmitas ſit, de qua dici cum Apoſtolo poſſit, per

Sacra-

Sacramentum alleviari. Præcipuus vero hujus Sacramenti effectus est remissio peccatorum, eamque ob rem hoc Sacramentum inter Sacramenta expiantia belle recensetur; quod in caussa fuit veteribus, ut conferretur infirmis ante Eucharistiæ administrationem, quæ disciplina adhuc in aliquibus provinciis viget. Oleum, quod est Sacramenti materia, ab Episcopis primum benedici solet. Oleo benedicto, etsi ignoretur, quæ, quales, quotque partes a veteribus inungerentur, hodie ex vulgato rituali, si tempus suppetat, inunguntur oculi, aures, nares, pedes, manus, & renes. Singulis inunctionibus sua verba respondent, quæ sunt Sacramenti forma, quibus Sacerdos veniam peccatorum infirmo precatur. Ut infirmis hoc Sacramentum præsto esse possit, mandatum est Parochis universis, ut oleum benedictum ad eum finem custodiant, & singulis annis renovent ab Episcopo acceptum.

Forma hujus Sacramenti paullo distat in Ecclesia etiam Latina a formis ceterorum Sacramentorum, quod verbis precatoriis concipiatur. Id factum est, ut consonet phrasi Jacobi Apostoli, qui monuit advocari Presbyteros, ut *orent* super infirmos.

TIT.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

I.

NON quibuſcumque datum eſt præeſſe ſacris, & diſpenſare Divina, ſed ſelectis adminiſtris, quibus ea facultas ex Divino mandato ab Eccleſia fiat ſolenni inauguratione. Ob hanc rem inſtitutum fuit a Chriſto Sacramentum Ordinis, a quo cetera Sacramenta miniſterii cauſſa penderent. Hoc Sacramentum varios habet gradus, ex quibus tota hierarchia coaleſcit. Hierarchiam conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, Concilium Tridentinum definivit in ſeſſ. 13. can. 6.

II.

Epiſcoporum, & Presbyterorum officia, & gradus Divino jure diſtingui facile demonſtrari poteſt, quemadmodum & ab Epiſcopis æque ac Presbyteris diſtingui miniſtros inferiores. At quo jure, & qua ratione miniſtri iidem inferiores diſtinguantur inter ſe, potius ex Eccleſiæ definitionibus pendet. Jam ſuo tempore Apoſtoli deſignaverunt Diaconos, qui nomine miniſtrorum hierarchiam conſtituentium veniunt. Infra Diaconos Eccleſia inde collocavit Subdiaconos, Acolytos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, quan-

doque

doque etiam aliis adjectis gradibus, veluti Cantorum, & Psalmistarum. Hanc ob caussam concludi potest, hos gradus inferiores pertinere ad institutionem Ecclesiæ, quamquam in hac re Ecclesia secuta sit generalem institutionem Dei de ministris certo ordine tribuendis.

Nihil amplius hoc in loco adjicio, ut designem singulorum graduum, & ministrorum officia, quando id jam superius executus sum lib. 1. tit. 8. *de clericis, prout ex Ordine distinguuntur*.

Antequam quis inter ministros solenni inauguratione recenseatur, initiari solet prima tonsura, quæ proinde dicitur dispositio quædam ad Ordines suscipiendos. Et quando tonsura initiatis nullum tribuitur singulare officium, vel ministerium, sed tantum aditus aperitur, ut in sortem Domini advocentur, liquet, tonsuratos in clero facile numerari posse, nullum tamen adhuc Ordinem, sive Ordinis gradum habere.

III.

Ordinarius ordinationis minister est Episcopus, & quidem Divino jure, si de conferendo Episcopatus, vel Presbyteratus, vel Diaconatus Ordine agatur; jure tamen ecclesiastico, si agatur de ceteris inferioribus Ordi-

Ordinibus, utpote ab Ecclesia institutis. Hinc non repugnat ab Ecclesia concedi privilegia non Episcopis, ut isti possint infra Diaconorum gradus clericos ordinare.

Perraro hæc privilegia concessa deprehenduntur ad ordinationem Subdiaconorum, ex eo forte, quod Subdiaconatus jamdiu inter sacros, & majores Ordines relatus est. Frequentius concessa privilegia sunt ad ordinationem inferiorum clericorum; gradus enim infra Subdiaconos tributi, minores dicuntur, & non adeo sacri.

IV.

Certissimum est, veteres manuum impositionem in ordinatione Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum adhibuisse, atque in impositione manuum statas adhibuisse formulas verborum, quibus designaretur tradita potestas, quæ cuique Ordini congrueret. Hinc constabat de materia, & forma Sacramenti. Recentioribus sæculis constat, traditionem symbolorum, sive instrumentorum accessisse. An hæc symbolorum traditio sit collationi Ordinis essentialis Scholastici disputant. Hæc plane adhibenda necessario est, quia Ecclesia id præcepit. In ordinatione illorum, qui infra Diaconos constituuntur, manuum impositio non adhibetur. Sola instrumen-

ſtrumentorum traditione, & certis verborum formulis perficitur ordinatio.

V.

Perennis fuit Eccleſiæ traditio, qua præceptum eſt, neminem ſine certo titulo ordinari debere, ideſt quin certæ Eccleſiæ adſcribatur, & in certa Eccleſia exercendis officiis ſuo gradui competentibus mancipetur. Quod & Concilium Tridentinum confirmavit in ſeſſ. 23. de ref. cap. 16.

Inde olim receptum erat, ut quicumque ordinaretur in certa Eccleſia, ex ejuſdem Eccleſiæ redditibus aleretur, ſeu juxta modum loquendi a recentioribus uſurpatum, beneficium eccleſiaſticum conſequeretur, quod & ſtatuit Tridentinum Concilium ſeſſ. 21. de ref. cap. 2. A temporibus Alexandri III. receptum eſt, ut quis adhuc ordinari poſſet ſine participatione reddituum eccleſiaſticorum, dummodo certa penſione, aut privato patrimonio ſufficienti non deſtitueretur. Concilium Tridentinum in dicta ſeſſ. 21. cap. 2. non aliter has ordinationes ratas habuit, quam ſi Epiſcopus expedire judicaverit pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum; quaſi ordinatio titulo patrimonii, vel penſionis nonniſi extra ordinem indulgeatur.

TIT.

TITULUS VII.

DE CONJUGIO, ET CONJUGII SACRAMENTO.

I.

MAGNUM ſane eſt argumentum Divinæ clementiæ, Chriſtum Dominum voluiſſe ita infirmitati humanæ conſulere, ut conjugium ſanctificari Sacramenti acceſſione valeret. Natura peccato originis jamdiu labefactata, & multiplicibus iniquorum hominum exemplis paſſim corrupta, plus æquo ſibi & in conjugiis, & conjugiorum occaſione indulgebat; imo & conjugium ipſum viſum fuerat jamdiu a prima ſui naturali inſtitutione detortum. In hac ipſa re, ubi ruendi periculum gravius erat, præſidium quoddam ſalutis Chriſti virtute collocatum eſt, imo & Chriſtus in conjugio voluit eſſe figuram ſuæ conjunctionis cum Eccleſia; quare Paullus Apoſtolus conjugium appellavit *Sacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia.*

II.

Ergo qui ſimplex erat contractus a natura inſtitutus, jure gentium confirmatus, publicis etiam populorum legibus communitus, ordinatus ad familiarum decus, ad propagationem ſobolis, ad honeſtam liberorum edu-

cationem, is cœpit inter fideles ſanctificari acceſſione Sacramenti, ſi rite omnia fiant ex Chriſti inſtitutione.

Hæc indicant, conjugium quidem inter chriſtianos poſſe Sacramento ſanctificari; non ſemper tamen; nec omne chriſtianorum conjugium Sacramentum eſſe. Tum Sacramentum erit, cum conjugium juxta formam Sacramenti a Chriſto præſtitutam celebretur. Si hæc forma omiſſa ſit, conjugium intra fines naturalis, ac civilis contractus manebit, non erit Sacramentum.

III.

Inciditur in ſcholaſticas diſputationes, cum quæritur, quiſnam ſit hujus Sacramenti miniſter, quænam materia, quænam forma. Equidem ritus Eccleſiæ poſtulat, ut cum conjugium contrahendum ſit, contrahentes coram Parocho conſenſum ſuum exprimant, deinde Parochus conjugibus benedicat. Sed interea ſunt qui putant, contractum a conjugibus initum eſſe materiam Sacramenti, benedictionem parochialem eſſe formam, & Parochum eſſe Sacramenti miniſtrum. Sunt e contrario: qui putant contrahentes ipſos miniſtrare æque ac recipere Sacramentum, quaſi Sacramenti forma ſit ipſe expreſſus contrahentium conſenſus, corpora contrahentium

ſint materia, benedictio autem parochialis mere cœremonialis habeatur. Multa multi in hanc rem comminiſcuntur. Eccleſia nihil adhuc definivit: unuſquiſque ſuo ingenio indulget.

IV.

Certum eſt, matrimonium eſſe non poſſe, niſi unius cum una, item eſſe perpetuum, & nonniſi alterutrius conjugis morte diſſolvi, propterea que nec matrimonium eſſe poſſe; ubi conjuges eo animo ad contrahendum accedant, quo non ſe perpetuo obſtringant. Debet præterea conjugium juxta leges contrahi, ita ut irritum ſit, quoties impingat in leges aut naturales, quæ formam conjugio dederunt, aut poſitivas, decreto irritante munitas; illicitum ſaltem ſit, quoties impingat in leges aut poſitivas, quæ decreto irritante deſtituantur, aut naturales, quæ ſitæ ſint extra conjugii formam.

Hinc Pragmatici recenſuerunt duplicis generis impedimenta conjugiorum, alia dirimentia dixerunt, cum conjugium irritum eſt, alia tantum impedientia, cum illicite celebratur.

V.

Multa ſunt conjugii bona, ſive quæ ex natura derivant, ſive quæ religionem fovent,

sive quæ juvant publicam societatem. Hinc conjugium dirigitur multiplici legum genere, idest jure naturali, Divino, ecclesiastico, & civili. Hinc conjugium modo dicitur tantum intra jura naturæ consistens, modo etiam ratum, cum Divina insuper, & ecclesiastica jura servata sint; modo etiam legitimum, cum legibus civitatis insuper paritum est. Ut Sacramenti vires habeat, sufficit satis esse factum legibus naturæ, & ea accessisse, quibus Sacramenti substantia constat; dummodo contractus non sit aut Divinis, aut humanis legibus positivis omnino damnatus. Ubi enim contractus irritus legibus positivis aut Divinis, aut humanis decernitur, quid superest, quod ad dignitatem Sacramenti elevetur?

VI.

Ut paucis leges irritantes comprehendam. In primis irrita sunt conjugia illorum, qui consentire non possunt, aut revera non consenserunt. Consentire nequeunt amentes, furiosi, ebrii, dormientes; item consensus infantium, vel puerorum pro non consensu accipitur. Leges ætatem definiverunt quatuordecim annorum in masculis, duodecim in fœminis. Revera non consentiunt, qui metu adacti sunt, dummodo metus sit gravis, ab homine incussus, nec publica potestate, & inju-

injuria. Quæ raptum passa est, non consentit, nisi in loco tuto collocata ratum habeat; quod gessit, cum raperetur, quod invaluit post Tridentini Concilii constitutiones. Denique non consentiunt, qui errant, dummodo error sit in persona, vel talis, qui in eam incidat qualitatem; a qua communiter homines avertere animum solent, cujusmodi est conditio servilis; etenim error in ceteris qualitatibus conjugio non obest.

VII.

Secundo irrita sunt conjugia illorum, qui coire non possunt. Jure Decretalium adhuc hæc conjugia consistebant, si contrahentes vitium non ignoraverint, & animum habuerint se habendi veluti fratrem, & sororem. A temporibus Sixti V. penitus irritata hujus generis conjugia fuerunt, proptereaquod graves inde abusus emergerent. Nec sterilium fœminarum, nec senum conjugia irritantur, utut vix sperari soboles ex his conjugiis possit. Hermaphroditæ, si qui sint, ad conjugium admittuntur ita, ut qui sexus in ipsis prævaleat, attendatur, ubi neuter sexus prævalet, alteruter eligatur, & electio semel facta perpetua sit.

VIII.

Tertio irrita sunt conjugia illorum, qui certo jam necessitudinis vinculo tenentur. Hujus generis est cognatio, affinitas, & publica honestas. Cognatio triplex recensetur, naturalis, civilis, & spiritualis. Cognatio naturalis est consanguinitas, atque intercedit inter personas sanguine junctas, idest ab eodem stipite descendentes. Consanguinitatis duplex est linea, recta, & collateralis, quæ etiam obliqua dicitur, seu transversalis. In linea recta sunt personæ, quæ se se mutuo respiciunt nomine parentum, & liberorum. Inter hos quicumque, & quotcumque numerentur gradus, perpetuum est conjugii interdictum. In linea collaterali sunt personæ, quæ eundem stipitem habent, ab eodem quidem parente genitæ, sed quæ se se non invicem respiciunt ceu parentes, & liberos, veluti fratres, sorores, fratrum, sororumve filii. Inter hos, quidquid olim vigeret, interdictum conjugii ad quartum usque gradum protrahitur, & in quinto gradu cessat. Quoties ex duobus unus in quarto est, alter in quinto gradu, conjugium permittitur. Ut graduum computatio fiat, quærendus in primis est communis parens illorum, de quibus quæritur. Ex communi parente ducenda est

linea

linea duplex descendentium. Quoto gradu quis distat a communi parente, eodem gradu distat a consanguineo. In numeratione graduum ratione communis parentis numerus attenditur personarum & quæ genuerunt, & quæ genitæ sunt; inde tot erunt gràdus, quot personæ, una demta. Sic frater, & soror primum gradum constituunt, duorum fratrum filii secundum, ac successive eodem ordine servato.

IX.

Cognatio civilis, quæ etiam legalis dicitur, ex adoptione proficiscitur. Quinam hujus cognationis caussa prohibeantur, ne matrimonium contrahant, satis docent leges Romanæ civiles. Cognatio spiritualis ex Sacramento Baptismi proficiscitur. De hac superius sermonem habui titulo 3. hujus libri numero 5.

X.

Affinitas intercedit inter virum, & consanguineos uxoris, item inter uxorem, & consanguineos viri. Affinitatis ratio ex eo petita est, quod vir, & uxor una caro facti una eademque persona censentur. Ergo affinitas nondum intercedit, quousque matrimonium non est consummatum. Inde receptum fuit, etiam affinitatem oriri, ubi injusta fuit,

& illicita corporum conjunctio. Si affinitas ex conjugio oriatur, ad totidem gradus extenditur, ad quot extenditur consanguinitas: si oriatur ex illicita conjunctione, intra secundum tantum gradum a Tridentinis Patribus coërcita est. In computatione graduum affinitatis servatur hæc regula: quoto gradu cognationis vir distat a suis consanguineis, eodem gradu affinitatis uxor distat a consanguineis viri: e converso quoto gradu cognationis uxor distat a consanguineis suis, eodem gradu affinitatis vir distat a consanguineis uxoris.

X I.

Publica honestas est veluti quoddam adfinitatis simulacrum. Oritur autem vel ex matrimonio tantum rato, necdum consummato, vel ex sponsalibus. Eam ob rem intercedit inter sponsum, aut maritum, & consanguineos sponsæ, aut uxoris, item inter sponsam, aut uxorem, & consanguineos sponsi, vel mariti. Si publica honestas ex matrimonio rato proficiscatur, ad eosdem gradus, ad quos affinitas, extenditur. Si proficiscatur ex sponsalibus, Tridentinorum Patrum decreto, ad primum gradum coërcita est. Gradus numerantur quemadmodum in affinitate. Ubi matrimonium irritum sit, adhuc

publi-

publica honeſtas intercedit, niſi irritum ſit ex defectu conſenſus. Ubi ſponſalia irrita ſint, quacumque de cauſſa irrita dicantur, ex decreto Patrum Tridentinorum publica honeſtas ceſſat. Certe, ut ex ſponſalibus publica honeſtas oriatur, debent ſponſalia eſſe certa, non indeterminata, neque in certum conditionis eventum collata.

XII.

Quarto irrita ſunt conjugia illorum, qui novum conjugium contrahunt, dum alterius conjugii vinculo detinentur. Id adeo verum eſt, ut nec conjugium convaleſcat, etiamſi deinde primum conjugium legitime diſſolvatur. Imo & inter eos, qui adhuc conjugio juncti aut alterum matrimonium executi fuerint, aut data fide de matrimonio contrahendo quidquam moliti fuerint in conjugis necem, aut etiam, data fide de matrimonio contrahendo adulterium admiſerint, matrimonium ne contrahatur perpetuo interdictum eſt.

XIII.

Quinto irritum eſt matrimonium, quod contrahatur a chriſtiano cum ea, quæ Chriſti religionem averſatur, & e converſo; quamquam ſi catholicus cum hæretica, & e converſo ſi catholica cum hæretico contrahat, conjugium, utut fere ſemper illicitum, ſuſtineatur.

XIV.

XIV.

Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum matrimonia irrita penitus declarata sunt publicis legibus. Clerici inferiores, si uxores ducant, ab officiis clericalibus removentur, nisi quo casu clericorum conjugatorum officiis arbitrio Episcopi Ecclesia indigeat. Monachorum quoque, & Sanctimonialium conjugia, post elicitam professionem contracta, jure penitus damnantur, atque irritantur. Non ita irritantur conjugia aliorum, qui continentiam Deo voverunt: horum conjugia tantum illicita sunt; quia nusquam deprehenduntur legum auctoritate irritata.

XV.

Denique Concilio Tridentino sess. 24. de ref. matrim. cap. 1. irritata sunt conjugia illorum, qui contraxerint sine præsentia Parochi, aut parochialis Vicarii, aut Sacerdotis ab Episcopo delegati, item qui contraxerint sine præsentia duorum saltem testium. Nomine Parochi intelligitur Parochus aut mariti, aut uxoris, quod & ipsum & de Parocho, & de Episcopo alium Sacerdotem delegante intelligitur.

Consulto omisi vetera Romani juris civilis interdicta, de matrimonio damnato

inter

inter rectorem provinciæ, & puellam provincialem, item inter tutorem, curatoremve, eorumve filios, & puellam, cujus tutela, vel cura gesta est, nondum redditis rationibus. Utrum enim hæc etiamnum vigeant, jurisperitorum disputationibus est relinquendum.

Certum est, olim jure Romano civili vetitas fuisse nuptias viduis mulieribus ante annum luctus ob certam honestatem: si tamen contractæ fuissent, adhuc legitimæ habebantur.

XVI.

Extra caussas modo memoratas, si conjugium contra leges celebretur, illicitum quidem est, non tamen irritum. Vetant leges, ne filiifamilias nuptias contrahant sine paterno consensu; vetant, ne contrahant, qui voto continentiæ perpetuæ obstringuntur; qui datam sponsalium fidem violant eo ipso, quo alteri junguntur; qui ignorant doctrinæ christianæ dogmata; qui controversiam in judicio aut moverunt, aut patiuntur de vi conjugii semel contracti, controversiam sane necdum judicis sententia diremtam: jubent leges, ut certa nuptiarum tempora observentur, videlicet non tempore adventus, non tempore quadragesimæ nuptiæ celebrentur, item jubent, ut non primum contrahatur matrimonium

tium, quam denunciationes publicæ præcesserint. Interea tamen, si matrimonium contrahatur, firmum erit.

XVII.

Qui nuptias contracturi sunt, solent ante conjugii celebrationem contrahere sponsalia, idest mutuo consensu de futuris nuptiis paciſci. Regula est, eos omnes rite contrahere sponsalia posse, qui ad contrahendum matrimonium admitterentur. Non e converso ii omnes, qui a contrahendo matrimonio arcentur, impediuntur, ne interea sponsalia contrahant. Impediuntur quidem ne sponsalia contrahant, si impedimentum conjugii perpetuum sit, non vero, si sit tempore circumscriptum.

XVIII.

Instar ceterorum contractuum sponsalia contrahi possunt vel pure, vel sub conditione, vel in diem certum. Si pure contrahantur, adhuc inest legis potestate certus dies, qui concedendus petenti est, in quem matrimonii celebratio differatur; & quidem ex interpretatione voluntatis contrahentium, qui non statim matrimonium contrahere voluerunt, statim ac cum matrimonium celebrare valerent, potius de contrahendis sponsalibus deliberarunt. Conditio debet esse possibilis, &

ho-

honesta; si sit impossibilis jure, vel facto, sponsalia exemplo ceterorum contractuum irrita sunt. Si dies certus adjiciatur, certum est, contrahentes non aliud egisse, quam aut tempus a lege sponsis præstitutum coërcere, aut prorogare ulterius voluisse.

In hoc certe sponsalia a conjugiis differunt. Nam conjugia cum de præsenti sint natura sua, nullam temporis adjectionem patiuntur; imo nec patiuntur conditionem, quæ si impossibilis facto adjecta fuerit, pro non adjecta habetur: si impossibilis jure, etiam pro non adjecta habetur, quoties nihil contineat contra conjugii naturam; at si naturæ conjugii adversetur, matrimonium prorsus irritum reddit. Hæc est Gregorii IX. philosophia in cap. ult. de condit. appositis.

XIX.

Effectus sponsalium rite contractorum est, ut utrinque inter sponsos obligatio nascatur aliquando contrahendi matrimonii. Efficax quidem obligatio est, utpote lege confirmata, proindeque actionem parit; verum si alterutra pars refragetur, & pervicax sit, obligatio pene sine exitu est, non sane vi sua, sed quod nullum inter homines sit remedium, quo ad exitum perducatur. Contumax quidem officio judicis terreri poterit: etiam commi-

natione

natione excommunicationis. Sed quid, si contumax adhuc refragetur? Adigi plane non poterit ad matrimonium contrahendum, quod sine consensu esse non potest. Id, quod interest, in hanc obligationem non venit, cum æstimari nequeant certi conjugii bona. Nihil igitur agendum judici superest. Eam ob rem contrahentes stipulari consueverunt certas pœnas a fidei violatore luendas. At enim pœnalis hæc stipulatio fuit abs jure improbanda, cum locum habere nequeat, quibus in caussis nec id, quod interest, locum habet. Potius admissa est arrharum obligatio. Etenim arrhæ nihil habent commune cum eo, quod interest. Si fidejussores, aut pignora dentur, utilis erit intercessio eatenus, quatenus in caussa arrharum accedant, nunquam si accedant in caussa aut principalis obligationis, aut forte initæ stipulationis pœnalis. Sunt alii sponsalium rite contractorum effectus, in iis caussis scilicet, in quibus sponsa quodammodo incipit personam uxoris induere, & privilegiis uxoris fruitur, de qua re multa tradunt civilis juris Interpretes.

XX.

Dissolvuntur sponsalia non solum morte alterutrius ex sponsis, sed etiam tali alterutrius immutatione status, a qua vel matrimonium

monium incipere nequit, vel nunquam alter ſponſus de matrimonio cogitaviſſet. Hujuſmodi eſt ſponſi tranſitio ad clericales Ordines, vel monaſticum ſtatum, corruptio morum in ſponſo, vel ſponſa, item infortunium grave vel in corpore, vel in patrimonio, aut quid ſimile. Præterea mutuo diſſenſu diſſolvi ſponſalia receptum eſt.

XXI.

Antequam nuptiæ contrahantur, ſtatutum fuit in Lateranenſi Concilio, ut fiant publicæ denunciationes, cap. 3. de clandeſt. deſp., quod & confirmatum fuit in Tridentino Concilio. Porro Patres Tridentini decreverunt, ut tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter miſſarum ſolennia a Parochis publicarentur nomina illorum, qui conjugium contracturi ſunt, ut ſiqui norunt certa poſſe eſſe ejuſdem conjugii impedimenta, eadem Eccleſiæ pandant. Data tamen fuit Epiſcopis facultas a denunciationibus diſpenſandi, ubi gravis cauſſa ſuppetat.

XXII.

Cum ad conjugii celebrationem devenitur, Parochus, aut alius Sacerdos de Parochi, vel Ordinarii licentia præſens, una cum duobus teſtibus debet contrahentes interrogare de eorum conſenſu, cujus cum certior factus

fuerit,

fuerit, conjugio benedicit juxta formam in Rituali præstitutam. Id totum ad certam rationem redactum est in Concilio Tridentino sess. 24. de ref. matrim. cap. 1., ut tandem, quoad fieri posset, abolerentur clandestina conjugia, quorum olim erat gravis abusus.

XXIII.

Contracto conjugio nanciscitur uxor jura familiæ maritalis, quemadmodum & vir certam in uxorem nanciscitur potestatem; uterque autem vicissim obnoxii sunt liberorum caussa, mutuamque operam præstare debent in liberalem, & honestam filiorum educationem, quæ conditioni cujusque respondeat.

XXIV.

Tria in conjugio considerantur, vinculum, cohabitatio, & thorus. Vinculum omnino indissolubile est. Divina lege permittitur, ut si conjuges infideles sint, alteruter conversus ad fidem, & baptizatus, liber evadat, si infidelis nolit habitare sine injuria Creatoris. Sacris quoque canonibus constitutum est, religiosa professione conjugium ratum, nondum tamen consummatum dissolvi. Certe morte conjugis, qui superstes est, ad secundas nuptias libere convolat. Cohabitatio conjugum non adeo indissolubilis est. Dissolvi enim potest ob adulterium conjugis postu-

lante

lante altero, qui sit innoxius, similiter ob hæresim, aliudve scelus, quod alterum conjugem in criminis consortium trahere facile possit; item ob mariti sævitiam, ob insidias ab alterutro conjuge paratas, ceterasque hujus generis caussas. Hæc tamen dissolutio fieri debet publica auctoritate. Thorus etiam ex mutuo consensu deseri potest. Si unus repugnet, debent esse alteri caussæ graves a lege probatæ, si velit a thoro discedere, veluti morbus sonticus, & similes.

Quandoque conjugium improprie dissolvi dicitur quoad vinculum, veluti cum proponitur, conjugium ab initio irritum fuisse. Hoc casu si dissolvatur, dissolutio potius facti, quam juris est. Plane privato judicio non relinquuntur conjuges in hac parte, sed opus est publica auctoritate. Imo & in hoc caussarum genere, ut omnis locus præcludatur collusionibus, solet in Curiis Episcopalibus designari vir prudens, qui intercedat, & exploret, an quæ a conjugibus contra conjugium opponuntur, justa sint; si talia non noverit, collusionem detegat, & matrimonium non esse dissolvendum proponat. Hic *defensor matrimoniorum* appellatur.

TITULUS VIII.

DE REBUS SACRIS.

I.

UT sanctum, & ineffabile commercium inter Deum, & homines magis magisque foveret Ecclesia, res quasdam sensibiles obtulit Deo, in quibus suum cultum testaretur, ex quibus etiam fiduciam haberet fore, ut inde Deum ipsum sibi impensius conciliaret. In hac oblatione certos ritus instituit, in quibus Sacramenta ipsa a Christo instituta quodammodo imitaretur. Ergo & symbolis usa est, & certis precibus, quibus symbola ipsa consecrarentur, & res evaderent sacræ. Certos jam ritus adjecerat ministerio Sacramentorum, ut nitide æque ac decore dispensarentur, ac reciperentur. In ipso Sacramentorum ministerio designandus erat certus locus ad Divina mysteria accommodatus, paranda erant vasa, quæ Divina ipsa symbola continerent, instruenda supellectilia ad usum rerum Divinarum. Ut excitaretur frequentius memoria susceptorum Sacramentorum, & recoleretur sæpe a fidelibus vinculum illud arcanum, quo cum Christo capite junguntur, multiplices videbantur adhibendæ figuræ. Hinc rerum sacrarum, ac sacramentalium institutio,

II.

II.

Quando vero Sacramentum Baptiſmatis, quo primum fideles initiantur, in aqua conſiſtit, & in Sacramento Confirmationis fideles inunguntur, rerum dedicatio, qua ſacræ fierent, viſa fuit auſpicanda ex aquæ, vel olei ſuper res ipſas infuſione. Hinc factum, ut aqua, & oleum ſtato ritu, ſtatiſque precibus primum ſanctificarentur, ex quibus ſanctificatis ſanctificatio ipſa in ceteras res quodammodo dimanaret. Hinc profluxit & aquæ benedictæ, & ſacri chriſmatis cuſtodia.

Olei inunctio etiam in uſu fuit apud Judæos certis in caſibus ex Divina inſtitutione. Ex Divina quoque inſtitutione evangelica in uſu fuit in Sacramento unctionis infirmorum. His exemplis commoveri magis magiſque Eccleſia potuit, ut oleum dedicaret.

III.

Itaque in primis dedicatio rerum ſacrarum aut per aquam benedictam, aut per chriſma, ideſt per oleum ſanctificatum facta eſt. Quandoque ex rerum qualitate decretum eſt, ut ſola aqua benedicta ſine chriſmate dedicarentur; quandoque ſolum chriſma ad ſanctificandum adhibitum eſt; quandoque etiam & aquæ infuſio facta eſt, & chriſmatis inunctio, prout hæc ſymbola preſſius ſignificare

 valerent,

valerent, quid spiritualiter ageretur. Certum est, sanctum chrisma veluti nobilius aquæ elemento habitum fuisse, velut illud, quod convenientius Christum ipsum significaret, Christum inquam, qui unctus Dei interpretatur; unde fideles aqua baptizati, deinde per sanctum chrisma in confirmatione perfici dicuntur, ac roborari.

IV.

Altaria ipsa in quibus & Christus exhibetur, & Corpus Christi collocatur, unde omnis sanctificatio profluit, & aquæ adspersione, & chrismate dedicata sunt. Sacræ ædes, quæ sunt figura congregationis fidelium, aqua sanctificari debuerunt, ut significaretur Baptisma esse fidelibus necessarium: sæpe ac sæpius eædem sacræ ædes sunt chrismate dedicatæ, ut intelligant fideles posse se magis magisque roborari per sacrum chrisma, quo in Sacramento Confirmationis inunguntur. Consuevit in ingressu sacrarum ædium aqua benedicta adservari, ut intelligerent fideles ingressuri, se per aquam baptismalem in Ecclesiam fuisse admissos, eademque aqua se tingendo memoriam Baptismatis suscepti recolerent. Consueverunt in Ecclesiis parochialibus singulis dominicis diebus fieri aquæ aspersiones super populum, ut iterum renovaretur memoria

suscepti

fuscepti in Ecclesia parochiali Baptismatis. Postquam prope Ecclesias constructa sunt cemeteria, & hæc consueverunt aqua benedicta lustrari, sive quod portio Ecclesiæ haberentur, sive quod fidelium baptizatorum corpora in iis reconderentur.

V.

Vasa sacra ad Eucharistiæ custodiam necessaria chrismate inungi receptum est, ob Sacramenti, quod continent, dignitatem; non tamen lintea, quibus Christi Corpus obvolvitur, ob rei, quæ munda esse debeat, qualitatem. In his sola aquæ adspersio semper adhibita est. Cetera quoque supellectilia aquæ aspersione dedicari consueverunt. Supellectilibus etiam accenseri consueverunt cruces, imagines Christi, & Sanctorum, & similia.

Quædam superfuerunt supellectilia, quæ non adeo prope ad res Divinas accedunt, & tanquam Ecclesiarum, seu ædium sacrarum ornamenta sunt, in quibus nec aquæ adspersio, nec sacræ preces adhibentur. Nihilominus sacrorum nomine veniunt, ratione usus sacri, ad quem designantur.

Idipsum dicas de signis, quæ fidelium largitate altaribus, aut muris sacrarum ædium appenduntur, perpetuo ibidem constitura.

Donaria hæc sunt, quibus fideles singularem cultum suum erga Deum testantur.

VI.

Pietatis cujusdam gratia extra usum sacrorum benedici etiam consuevit aquæ adspersione aut pani, aut novis frugibus, aut domui, navive novæ, aut rebus quibuscumque ad humanam vitam necessariis. Non ideo tamen res istæ sacræ evadunt. Tantum benedictio adhibetur, ut in illis symbolo quodam fideles intelligant, se per baptismalem aquam peccato originis fuisse expurgatos, uti per aquæ adspersionem Sacerdotes a Deo precantur, ut panis, fruges, domus, naves, omniaque ad usum vitæ necessaria ita bona hominibus sint, quemadmodum bona fuissent, si homo nunquam a Divina obedientia recessisset. Plane inter res sacras ego commemorarem eulogia illa, ex. gr., panis, quæ benedicuntur in Ecclesia, ut publice in eadem Ecclesia distribuantur, in argumentum christianæ communionis.

VII.

Si rerum consecratio per oleum, seu chrisma fiat, ex juris ecclesiastici disciplina Episcopali Ordini reservatur. Nemo ergo ad has consecrationes accedere potest, nisi Episcopali Ordine insignitus, aut nisi privilegium sin-

singulare obtinuerit. Imo & ipsa olei consecratio ob eandem caussam Episcopis reservatur. Si consecratio rerum fiat aquæ benedictæ adspersione, ea potest Ordini Presbyterali competere ex Episcoporum consensu.

Etiam in hac parte servata est analogia quædam cum ministerio Sacramentorum. Quippe Confirmationis Sacramentum, quod chrismate administratur, Episcopis reservatur, concesso Presbyteris ministerio Baptismatis, quod in aquæ infusione consistit,

VIII.

Alia exemplo Sacramentorum instituta sunt ab Ecclesia sacramentalia. Iterum memoro panem benedictum, qui quandoque publice tribui consuevit exemplo sacræ Eucharistiæ. Memoro solennem manuum impositionem ab Episcopis olim factam super publicos pœnitentes, & eam manuum impositionem cum precibus instar absolutionis conceptis super eos, qui generalem criminum confessionem fecerint, exemplo Sacramenti Pœnitentiæ; denique solennem nuptiarum benedictionem, quæ fit a Parochis exemplo Sacramenti conjugii, ut alia his similia omittam.

Reconciliatio publicorum pœnitentium Episcopis, & Prælatis jurisdictionem in foro externo habentibus reservatur, quod eisdem

reservetur publicæ pœnitentiæ indictio. Generalis absolutio fit a Sacerdotibus, aut statis temporibus juxta generalem ritum, aut ex Episcoporum mandatis. Solennis nuptiarum benedictio parochialibus juribus accensetur, eadem ratione; qua Parochorum est conjugiis interesse.

TITULUS IX.

DE DIVINARUM, AC SACRARUM RERUM ADMINICULIS.

I.

ET Divina, & sacra quæcunque ut ut spiritualia sint, sine corporalibus tamen adminiculis non subsistunt. Id demonstrant in Divinis rebus symbola ipsa Sacramentorum, ceu aqua in Baptismate, panis, & vinum in Eucharistia, & contractus conjugii in conjugii Sacramento, ut cetera omittam. De his actum jam superius est.

II.

In rebus sacris, licet consecratio, quæ spiritualis est, præcipue attendatur, res tamen ipsæ corporeæ per semetipsas patefiunt, in constructis altaris lapidibus, in parietibus, & tectoriis sacrarum ædium, in supellectilibus. De his cautum est ad honorem semel

inditæ

inditæ dedicationis, ut cum ſymbola hæc, reſque corporeæ in eum caſum inciderint, quo uſui ſacrorum amplius eſſe non poſſunt, aut in ſacrarium effundantur, aut comburantur, pro cujuſque rei qualitate; certæ etiam res, uti area ædium ſacrarum erutarum, cementa ædificiorum, in uſus profanos converti poſſint, nunquam tamen ſordidos.

III.

Si pollui ſacras ædes contingat, veluti ſi homicidium in ſacris ædibus admiſſum fuerit, receptum eſt, ut ab Epiſcopo, vel a Sacerdote ex auctoritate Epiſcopi reconcilientur, exemplo reconciliationis peccatorum pœnitentium, quemadmodum in ſacramentalibus receptum eſt, juxta ea, quæ præcedente titulo notanda fuerunt.

IV.

Inter adminicula rerum Divinarum, & ſacrarum, magna ſemper haberi ratio debuit obventionum, & reddituum eccleſiaſticorum. Ex his ſacrarum ædium ædificationi, & reſtaurationi conſulitur, ſtruuntur, & ornantur altaria, ſuppellectilia parantur, & ea univerſa, quæ Divinis, & ſacris inſerviunt. Ex his aluntur adminiſtri Divinorum, & ſacrorum. Cum ita ſatis Divinis, ſacriſque rebus conſultum fuerit, quod ſupereſt, pie-

tati

tati, & religioni tribuitur, cum pietas, & religio Divinis, sacrisque institutis succedat. Non mediocris fuit in hac parte sollicitudo Ecclesiæ, quæ triplex esse debuit, eo primum directa, ut pii fideles concitarentur ad ea tribuenda, quæ necessaria forent; deinde eo, ut clerici earum rerum administri fideliter redditus dispensarent, nihilque sibi præter necessaria alimenta vindicarent, nihil sanguini, privatisque affectionibus indulgerent, solum Deum præ oculis haberent; denique eo, ut quæ bona immobilia in perpetuum adsignata Ecclesiis fuissent ad usus annuos, ea servarentur, nunquam alienarentur, nisi certis adhibitis solennitatibus constaret, justam esse alienationis caussam.

V.

Primis Ecclesiæ sæculis, sive Apostolica ætate, sive etiam posteriore usque ad sæculum quartum ecclesiastici redditus in solis piorum fidelium oblationibus consistebant. Siquid bonorum immobilium offerebatur, facile distrahebatur, eo præsertim tempore, quo Ethnici Ecclesiam vexabant, & fideles omnes, præsertim clericos insequebantur. A sæculo Ecclesiæ quarto cœperunt Ecclesiæ bona immobilia possidere; nihilominus tamen oblationibus locus fiebat. Frigescente

fidelium

fidelium charitate, statui cœpit, ut decimæ ex fructibus prædiorum præstarentur, exemplo veterum Judæorum. Alicubi præter reales, seu prædiales decimas, solutæ etiam sunt personales, ideſt ex pecunia, quam quis induſtria ſua, & artificio compararet. Paullatim aucti ſunt redditus Eccleſiarum; eamque ob rem multis in locis populus ab obligatione luendarum decimarum abſolutus eſt. Hodie in hac parte receptæ conſuetudini indulgetur. Si forte contingat, Eccleſias neceſſariis ſubſidiis deſtitui, fidelis populus tenetur, quidquid neceſſarium eſt ad uſum ſacrorum, & Sacerdotum alimenta conferre.

VI.

Hujus eccleſiaſtici peculii adminiſtratio olim tota conferebatur in Epiſcoporum ſollicitudinem. Ex Epiſcoporum arbitrio prudenti tributio pendebat. Epiſcoporum curam Diaconi adjuvabant, mandata Epiſcopi exequentes. Ut planior eſſet executio, inſtituta ſunt officia Archidiaconorum, qui vice Epiſcopi in hac re Diaconos dirigerent. Ad avertendas clericorum lites, & jurgia, atque ad conſulendum æquabiliter clericis univerſis in alimentorum tributione ſæpe cautum eſt, ut clerici ad communem vitam una cum Epiſcopo ducendam advocarentur. Sæpe com-

munis

munis vita inita est, sæpe dissoluta; donec tandem Ecclesiæ patrimonium in viriles portiones divisum est, singulis clericis singulæ portiones adsignatæ. Hinc constituta beneficia, præbendæ, præstimonia, & alia hujusce generis.

VII.

Ceterum in hac virili tributione inter clericos facta, moniti perpetuo clerici fuerunt, se non in re sua versari; idest bona immobilia privata auctoritate, & sine caussa alienare non posse; fructus, & obventiones omnes conferre debere non solum in suimetipsorum alimenta, sed etiam in cultum sacrorum, in refectionem sacrarum ædium, in subsidium egenorum, piarumque caussarum. Item in vestigium antiquæ episcopalis administrationis ecclesiastici peculii universi, quædam in peculio clericorum inferiorum reservata sunt Episcopis jura, quale est jus procurationis, quod exercetur ab Episcopis, dum Ecclesias visitant a clericis visitatis alendi; jus cathedratici, seu synodatici, quod luitur singulis annis a clericis tempore synodi in honorem cathedræ episcopalis; jus subsidii charitativi Episcopo, cum indigeat, concedendi.

Jus procurationis, & cathedratici, præsertim quod ad quantitatem attinet, plurimum

rimum pendet ex receptis diœcefeon confuetudinibus. Jus fubfidii charitativi pendet quoque ex confuetudinibus, fi de quantitate quæratur. Hodie autem cautum eft, nonnifi femel a quocumque Epifcopo peti, atque exigi poffe.

VIII.

Dixi, ex hac tributione factum eft, ut inde emergerent ecclefiaftica beneficia, qualia hodie intuemur. Hæc beneficiorum difciplina poftulavit magnam follicitudinem Ecclefiæ in certis edendis regulis, ad quas adminiftrationem fuam beneficiarii exigerent; poftulavit infuper non mediocria ftudia interpretum, ac pragmaticorum, ut difputationes identidem emergentes enuclearent, atque dirimerent. Opportunum propterea duco, fingulari titulo nonnulla fubjicere, quæ faltem prima rei beneficiariæ principia, & fumma argumenta exhibeant.



TIT.

TITULUS X.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

I.

Beneficium hodie aptissime definiri potest militia quædam ecclesiastica, cujus onere suscepto quis ecclesiasticis officiis adstringatur, cujus jure quæsito ecclesiastica stipendia mereat.

Militiam in primis dico, quia jus habet cum onere conjunctum. Onus consistit in implendo ecclesiastico munere pro Ordinis qualitate: jus consistit in alimentis ex rebus beneficii hauriendis, item in administratione, & dispensatione.

II.

Qualitates beneficiorum hæ sunt: 1. ut beneficia sint perpetua: 2. ut sint individua; 3. ut sint singularia. Perpetua sunt duplici ex caussa: primum quod beneficium semel erectum perpetuo consistat; deinde quod clericus beneficium adeptus nec beneficio cedere, nec a beneficio removeri sine caussa legitima possit. Individua sunt, quia duo non admittuntur ad eundem beneficii titulum: semel ac enim in partitionem venerunt & officia, & bona Ecclesiarum, nova partitio supervacua est, nisi publica caussa postulet,

ut

ut ex uno beneficio plura fiant. Singularia sunt, quia singuli Clerici singulis beneficiis debent esse contenti, nisi adpareat, redditus unius beneficii non esse alendo uni clerico pares.

III.

Sunt beneficia majora, sunt etiam minora. Illa episcopalia dicuntur, aut ad episcopalia prope accedentia: ista sunt, quæ inferiore loco collocantur. Sunt etiam, uti vocant, secularia, quæ clericis non in commune viventibus conferuntur, sunt regularia, quæ conceduntur aut clericis in communi viventibus, aut etiam monachis, præsertim postquam monachi sacris Ordinibus initiari cœperunt, & in cleri adjutorium in urbes, & oppida admitti. Quod monachi, & regulares voto obedientiæ erga Prælatum adstringantur, perpetua non sunt beneficia monachis Prælati sui auctoritate concessa, sed possunt ab eisdem Prælatis libere avocari. Sunt præterea beneficia, quæ conferuntur in titulum, ideſt ita, ut clericus eorum caussa ordinetur, & officiis ecclesiasticis addicatur: sunt quæ dantur in commendam, quando nimirum jura, & bona beneficii alicujus custodiæ commendantur. Commendationi huic occasionem dederunt ruinæ sacrarum ædium,

aut

aut monasteriorum. Finis commendationis est, ut quæ diruta sunt, reparentur, & interea oneribus beneficii fiat satis. Si aut frustra restauratio speratur, aut restaurationem legitimæ caussæ impediant, commendæ perpetuæ sunt, & propius ad naturam beneficiorum accedunt. Certe interest, Ecclesias omnes, & beneficia, cum vacant, alicujus curæ commendari ad tempus, quousque scilicet vacant.

IV.

Nullum ecclesiasticum beneficium aut esse, aut dici potest, nisi erigatur aut expressa, aut saltem tacita Episcopi diœcesani auctoritate. Neque enim alia ratione aut sacra officia in Ecclesia tribui, aut partiri ecclesiastici redditus possunt. In erectione considerandum semper est, an utile sit sacrum officium, quod ordinatur in beneficio, & an redditus beneficii sint ferendis oneribus pares. Quoties de dividendis, aut uniendis beneficiis agatur, res etiam est, quæ spectat Episcopi diœcesani auctoritatem. In unione, vel divisione & utilitas Ecclesiæ semper spectanda est, semperque cavendum, ut redditus beneficii sint ferendis oneribus pares.

V.

V.

Collatio beneficii olim cohærebat ordinationi ſacrorum adminiſtrorum; nemo enim ordinari poterat, niſi certis Eccleſiæ officiis adſtringeretur, & de Eccleſiæ redditibus aleretur. Ergo eodem jure ad Epiſcopos pertinet collatio beneficiorum, quo pertinet ordinatio clericorum. Hinc collatio beneficiorum olim propria videbatur functio Ordinis Epiſcopalis, adeo ut nec Capitulis ſede vacante, nec Prælatis inferioribus quacumque præditis juriſdictione competeret. Separata collatione Ordinis a collatione beneficii, collatio beneficii cœpit juriſdictionis poteſtati adcenſeri, totque adparere cœperunt collatores beneficiorum, quot ſingulari titulo juriſdictionis Epiſcopalis poteſtatem nanciſci potuerunt. Pro ſingulari titulo fuerunt, modo tabulæ fundationum, modo præſcriptio, modo conſuetudo, modo privilegium. Capitula cathedralium ſede vacante cœperunt inde ad eam facultatem anhelare. Sed Epiſcopos obſiſtentes invenerunt. Jure cautum eſt, ut Capitula conferrent ea beneficia, quæ vel patronata eſſent, vel ſingulari titulo ad collationem Capituli etiam vivo Epiſcopo, & de Epiſcopi conſilio pertinerent, vel pertinerent ad ſimultaneam Epiſcopi, & Capituli collationem.

nem. Multa in hac re immutaverunt singularia cathedralium statuta ab Episcopis confirmata.

Separationem collationis Ordinis a collatione beneficii induxit ordinatio titulo patrimonii facta, idest sine beneficio, quod primum a temporibus Alexandri III. obtinuit. Caveri tamen debuit, ut patrimonium sufficiens esse debeat ad clericum sustentandum; item ut ordinatio titulo patrimonii habeatur tanquam extra ordinem, idest tum demum fiat, cum utilitas Ecclesiæ postulaverit, quemadmodum Tridentini Patres decreverunt.

VI.

Ne Ecclesiæ, vel beneficia diutius vacent, certa in jure designata sunt tempora ordinariis collatoribus, quicumque ii sint. Nimirum semestre tempus præstitutum, non quidem continuum, sed utile, idest numerandum a die scientiæ vacationis, & intra quod collator minime fuerit a collatione impeditus. Eo elapso tempore, ad proximum superiorem ea collatio pro ea vice devolvitur.

VII.

Jamdiu consueverunt Pontifices Maximi beneficiorum quorundam collationem sibi reservare. Prima harum reservationum origo

ex

ex eo profecta est, quod quidam clerici pauperes essent, sine beneficio ab Episcopis ordinati, confugerent ad Romanam Sedem, mandataque Romanæ Sedis impetrarent ad Episcopos directa, quibus Episcopi monebantur primum, deinde jubebantur beneficium conferre. Hæc dicebantur *mandata de providendo*, si beneficium vacaret; si vero nullum beneficium vacaret, dicebantur *gratiæ expectativæ*, quia clericus mandato munitus tamdiu expectare debebat, quamdiu beneficium vacaret. Hujus generis mandata deinde data sunt gratia aliorum confugientium, qui scilicet bene de Ecclesia meriti erant. Tandem mandatis successere reservationes.

Ante tempora Clementis IV. nullum extat reservationis exemplum.

VIII.

Sunt autem duplicis generis reservationes. Primum genus dicitur reservationum specialium, cum Papa sibi certum beneficium pro certa vice vel tacite, vel expresse reservat. Tacita reservatio vocatur affectio: dicitur autem affectio, cum Papa in collatione certi beneficii manum apposuit, & collatio certis de caussis effectum non habuit. Alterum genus dicitur reservationum generalium, quæ conti-

nentur aut in Pontificiis Constitutionibus, aut in Regulis Cancellariæ Romanæ. Ubi Pontificiæ hæ Constitutiones, & Regulæ Cancellariæ receptæ sunt, reservationes generales ad summa hæc capita reducuntur. Primo reservantur beneficia quædam ratione loci, videlicet quæ vacant apud Sedem Romanam, vel apud Curiam Romanam, quod contingit vel per obitum, vel per quamcumque dimissionem beneficiarii in Curia Romana. Secundo reservantur beneficia quædam ratione temporis, quæ scilicet aut vacant sede episcopali vacante, aut vacant certis anni mensibus, modo enim alternativa mensium Episcopis concessa est, modo tantum quatuor menses Episcopis conceduntur. Certe Prælatis inferioribus quatuor menses tantum adsignantur. In alternativa primus anni mensis adsignatur Papæ, secundus Episcopo, & successive alternatim. Ubi tantum quatuor menses conceduntur, primi duo anni menses papales dicuntur, tertius Ordinariorum, & sic æquabiliter proceditur ad menses ceteros. Tertio reservantur beneficia quædam ratione dignitatis eorundem beneficiorum, qualia sunt Episcopatus, & primæ dignitates in cathedralibus, & collegiatis, item Abbatiæ, & Prioratus quidam conventuales. Quarto reser-

reservantur beneficia quædam ratione dignitatis illorum, qui dudum eadem possidebant, veluti si beneficium postremo possessum fuisset a Cardinalibus, Legatis Apostolicæ Sedis, aut aliis Romanæ Curiæ officialibus. Denique reservantur beneficia quædam ratione delicti, veluti siquis beneficio spolietur, quod duo incompatibilia beneficia possedisset, aut si beneficium collatum sit, non servatis canonibus Tridentini Concilii.

IX.

Quædam regulæ sunt a collatoribus beneficiorum in collatione observandæ, & 1. beneficium debet esse vacans: 2. est gratis conferendum: 3. conferendum est illi, qui legitimam ætatem nactus sit. Olim cum beneficiorum collatio esset ordinationi conjuncta, ea requirebatur ætas ad beneficium, quæ requirebatur ad Ordinem. Sejunctis collationibus cautum est, nequis admittatur ad dignitates, vel ad beneficia curam animarum habentia, nisi annum saltem vigesimumquintum attigerit. Si dignitas, vel personatus nullam animarum curam adnexam habet, nemini concedi potest, qui minor sit annis duobus supra viginti. In canonicatibus Ecclesiæ cathedralis ea ætas requiritur, quæ necessaria est ad Ordinem sacrum suscipien-

 dum,

dum, qui canonicatui ſit adnexus. In ceteris beneficiis ſatis eſt, ſi clericus decimumquartum annum exceſſerit: 4. beneficium concedi tantum illi debet, qui aut inſignitus jam ſit, aut inſigniri intra annum ſaltem poſſit eo Ordine, qui neceſſarius eſt ab obeunda beneficii munera: 5. debet beneficium adepturus eſſe idoneus doctrina, & moribus dignus: qua in re magis idoneus, & magis dignus minus idoneo, & minus digno præferendus eſt.

X.

Nulla erat ſingularis forma conferendorum beneficiorum, cum beneficia ab Ordinis collatione ſejuncta non erant. Facta ſeparatione, invecta eſt inſtitutio, quæ duplex eſt, alia collativa tituli, alia corporalis, ſive in poſſeſſionem inductio. Id inductum eſt exemplo ceterorum jurium in civili ſocietate adquirendorum. Inſtitutio collativa tituli fit per ſymbola, ceu impoſitionem pilei, traditionem annuli, aut ſimilia. Corporalis inſtitutio fit per ingreſſum in Eccleſiam beneficii, aditionem altaris, ſtalli occupationem, item pedum poſitionem in fundis beneficiariis. Utriuſque inſtitutionis rationes in ſcripturam redigi ſolent. In beneficiis parochialibus inducta eſt forma ſingularis concurſus, qui ab

Epi-

Episcopo indicitur, vocatis omnibus, qui velint beneficium parochiale adquirere, ita ut periculo a singulis facto apud examinatores synodales, magis idoneo, & digno beneficium conferatur. In quibusdam cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis beneficia sunt, quæ vel electione Capituli conferuntur, modo ab Episcopo confirmanda, modo etiam sine confirmatione Episcopi, juxta cujuscumque Ecclesiæ mores; vel adquiruntur optione, ita nimirum, ut uni ex canonicis liceat dimisso proprio titulo vel præbenda, vacantem titulum, vel præbendam optare.

XI.

Jura, & onera beneficiariorum ad hæc summa capita reducuntur. Primo tenentur beneficiarii munus illud sacrum implere, quod beneficio adnexum est, ideoque residentiæ legibus obligantur. Distinguunt pragmatici beneficia simplicia a ceteris, puta parochialibus, aut dignitatem, vel canonicatum adnexum habentibus. Simplicia dicunt exemta a residentiæ legibus, cetera eisdem legibus subjacere. Qui ita opinati sunt, confuderunt leges cum legibus. Quando enim leges pœnis coërcere solent eos, qui graviorum criminum rei sunt, in minoribus criminibus a pœnis indicendis abstinent, sacri canones

graves pœnas indixerunt in Parochos, ceterosque curam animarum habentes, item in canonicos, si non residerent; minores beneficiarios nulla pœna mulctarunt. Ubi pœna expressa indicta non fuit, ibi nullam residentiæ legem esse finxerunt. Tenentur præterea beneficiarii omnes ad Psalmodiam: breviarium passim appellant.

XII.

Secundo debent beneficiarii prædia, & jura beneficii sarta tecta tueri, custodire, servare; nunquam ad eorum alienationem devenire, nisi caussa gravissima intercedente, & legitimis adhibitis solennitatibus.

XIII.

Tertio ratione habita fructuum, & obventionum beneficii, potestas beneficiariorum coërcetur intra fines administrationis, & dispensationis, ita ut beneficiarii primum honestæ sui ipsorum sustentationi consulant, si indigeant; deinde Ecclesias reparent, instaurent, instruant, ornent; denique quod superest, erogent in pias caussas. Decedentibus beneficiariis, totum jus administrandi, ac dispensandi cessat, nec in heredes transfertur. Hinc ex jure communi ecclesiasticum peculium, quod mortis tempore extat, ad Ecclesiam pertinet. Hanc ob caussam testamenta

menta clericorum de bonis Ecclesiæ olim penitus improbabantur. Primus Alexander III. in capite 12. de testam., postquam statuit, nomine Ecclesiæ venire successorem in beneficio, si singulare beneficium sit, & venire collegium clericorum, si beneficium sit ex iis, quæ collegium componunt, dixit, non esse consuetudinem improbandam, si clericus beneficiarius ultima voluntate quidquam in pias caussas conferat. Recentioribus temporibus invectum est jus spoliorum, quo factum, ut Pontificis Romani Camera sibi vindicet fructus Ecclesiarum a decedentibus beneficiariis relictos. At hoc jus non in omnibus provinciis æque observatur, imo & varias passum fuit vicissitudines.

Consueverunt quoque aliquando Pontifices Maximi in fructibus beneficiorum sibi reservare annatas, idest redditum unius anni. Hodie dimidia tantum annata penditur, quoties redditus beneficii excedat annuum redditum 24. ducatorum, & collatio fiat a Sede Apostolica. In beneficiis unitis collegio, vel monasterio annatæ locum tenent quindennia; idest singulis annis quindecim luitur annata.

XIV.

Non semel contingit clericum beneficiarium obligari ad certam luendam pensionem ex redditibus beneficii, gratia alterius, ut plurimum clerici, quandoque etiam, sed extra ordinem laici. Quoties pia caussa pensionem constitui suadeat, nihil est, quod naturæ beneficiorum adversetur. Qui pensionarius est, multum a beneficiario differt, sive quod nulla onera beneficii ferat, sive quod certam, & definitam annuam quantitatem e redditibus beneficii, & de beneficiarii manu percipiat, sine ulla beneficii administratione. In impositione pensionis cavendum semper est, ut ne quæ necessaria sunt ad alendum beneficiarium subtrahantur. Pensio semel constituta extinguitur pensionarii morte; vel remissione. Si beneficiarius decedat, aut beneficio cadat, nihilominus in successorem in beneficio pensionis onus transmittitur.

XV.

Cum beneficiarius moritur, ex natura sua beneficium vacat, alteri concedendum. A beneficiario vivente amittitur beneficium vel juris potestate, ceu si beneficiarius hæresis crimen admittat, aut aliud quodcumque scelus, quo anathema incurrat, vel officio judicis, cum beneficiarius tale crimen admittat,

tat, quo indignus beneficio reddatur, eaque propter ſit ſpoliandus, vel denique facto proprio, cum beneficium dimittit. Equidem beneficia, ceu munera publica ſponte dimitti nequeunt; interea tamen quædam juſtæ cauſſæ ſubeſſe poſſunt, quibus probabilis renunciatio reddatur. Cauſſæ iſtæ ſunt apud ſuperiorem proponendæ, & ab eo probandæ. Plane renunciatio vel ſimplex eſt, & abſoluta; vel in certam conditionem confertur, veluti ſi conditio adjiciatur, qua beneficiarius penſionem ſibi reſervet, beneficium cum beneficio permutet, aut ita abdicet beneficium, ut beneficium certæ perſonæ conferatur.

XVI.

Recentioribus ſæculis quædam inſtitutæ ſunt beneficiorum ſpecies, quæ nonniſi improprie poſſunt beneficia nuncupari. Hujuſmodi in primis ſunt patrimonia clericorum. Cum plures ſacris Ordinibus initiari cœpiſſent, quam redditus Eccleſiarum ferrent, obtinuit, ut ordinarentur, ſi certum ſibi patrimonium conſtituiſſent. Hæc ordinatio ex diſpenſatione conceſſa eſt, quando Eccleſiæ gravis utilitas id poſtulet. Patrimonium debet eſſe certum, fructiferum, ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiens, nec poteſt alienari.

XVII.

Ad beneficia quoque impropria referuntur pensiones ecclesiasticæ clerico concessæ, ut pro titulo sint sacræ ordinationis. Pensiones in hac specie vix a clericali patrimonio distant. Item impropria beneficia sunt, quæ conceduntur ad certum tempus, aut ita, ut possint a superiore quandocumque avocari. Appellantur hæc præstimonia, seu præstimoniales portiones.

XVIII.

Denique beneficia impropria sunt cappellaniæ, aut pia quædam legata clericorum gratia instituta. Cappellania est onus quoddam certæ Ecclesiæ, vel cappellæ cohærens, quod alicui exequendum mandatur, ut plurimum ad res aut Divinas, aut sacras ordinatum. Qui cappellaniam possidet, cappellanus vocatur. Si rei Divinæ, vel sacræ exercitio cappellano mandata sit, tum cappellanus debet esse clericus, & in eo Ordine constitutus, quem officium postulat. Si rei Divinæ, vel sacræ exercitio ita instituta est, ut per alterum, quam per cappellanum, fieri possit, etiam laici, etiam infantes, etiam fœminæ ad cappellaniæ possessionem admittuntur. Hinc distinctio cappellaniarum in ecclesiasticas, & laicales. Ecclesiasticæ nequeunt sine Episcopi aucto-

auctoritate erigi, secus laicales. Pia legata clericorum gratia instituta etiam certum onus habent adnexum, ad res Divinas, aut sacras ordinatum; non tamen Ecclesiæ, aut cappellæ cohæret, sed cohæret hereditati illius, qui onus illud instituit.

Inde sequitur, cappellaniam nonnisi cum certa constituta dote separata ab hereditate erigi, exemplo dotis, quæ constituitur in erectione beneficiorum; at legatum pium etiam sine dotis separatæ constitutione ordinari, imposito heredibus onere certam quantitatem certis temporibus annuatim præstandi clerico, qui Divinum, aut sacrum opus exerceat. Hujusmodi sunt legata pia missarum celebrandarum, & similia.

TITULUS XI.

DE REBUS PIIS,

Quæ sunt a Divinis, & sacris distincta.

I.

EQuidem nonnullæ sunt res piæ, quæ Divinis, sacrisque cohærent. Quid enim, si occasione rerum Divinarum, vel sacrarum pii fideles quidquam elargiantur Sacerdotibus, ut inde pauperum inopiæ occurratur

ratur, aut alantur hospites, vel peregrini communionem cum Ecclesia habentes? Sic Ecclesiæ peculia creverunt, & multa erecta sunt beneficia, de quibus jam superius actum est. Ceterum aliæ sunt res piæ, quæ nec Divinis, nec sacris cohærent. His sola pietas, idest amor, & charitas in proximum formam dedit; sive ad tempus, sive in perpetuum institutio facta fuerit.

II.

Harum rerum triplex esse potest species. Quippe possunt res piæ ita constitui, ut reipublicæ, & societati serviant, veluti cum quis certa bona civitati, aut provinciæ donat, ut publicæ utilitati consulatur. Deinde possunt res piæ dirigi in commodum quarundam personarum certæ conditionis, ceu pauperum, peregrinorum, monachorum, ac similium. Huc pertinet xenodochiorum, & montium pietatis erectio, de quibus actum superius est in libro 2. tit. 10. Deinque res piæ dirigi possunt in utilitatem singularium quarundam personarum, aut etiam certæ familiæ.

III.

Adjici his possunt illa opera pietatis, in quibus exercetur quidem in proximum charitas, præcipuus tamen instituentis finis est, ut sibi,

ſibi, & animæ ſuæ conſulat; veluti cum quis ita hoſpitalibus donat, ut pauperes in hoſpitalibus degentes ſtatis precibus pro donante Deum orent, cum quis in remiſſionem peccatorum ſuorum donat; cum quis loco pio donat, quæ ipſe olim ſurripuit ab incertis perſonis, quibus alias ſubrepta reſtituere non valeret. Donationes iſtæ certum modum habent adjectum, & conveniunt cum cappellaniis, aut piis legatis, de quibus nonnulla tradidi in titulo præcedente num. 18.

IV.

Piorum operum executio ad eum pertinet, qui eadem pia opera inſtituit. Si inſtitutio vel in certum tempus, vel in perpetuum protrahatur, & intra rei omnino privatæ fines minime contineatur, inſtitutioni publicam auctoritatem accedere neceſſe eſt, veluti cum de xenodochio erigendo agitur. Mortuo inſtitutore, piæ voluntatis executio vel ad heredes pertinet, vel ad eos, quos inſtitutor ſpecialiter deſignaverit. Nullis heredibus exiſtentibus, nullo ſpecialiter deſignato ab inſtituente; aut etiam heredibus quidem exiſtentibus, aut certis deſignatis perſonis, ſed his curam ſuſcipere negligentibus, qui reipublicæ præſunt, officio ſuo rem piam curant, & executioni demandant. Jamdiu

legibus

legibus piorum Principum excitata fuit in has res sollicitudo Episcoporum, ut isti curam habeant piorum operum, & in eorundem executionem incumbant. Hujus generis mandata inde constituerunt ordinariam sacrorum Antistitum potestatem, quam sibi tueri solent, & quam multa Concilia, ipsum etiam Tridentinum, servaverunt. Ab Episcopali sollicitudine exemta sunt pia opera, quæ exemta esse institutor voluit, item quæ exemtis collegiis unita sunt, denique quæ Supremi Principes in suum singulare patrocinium susceperunt, quasi in his cesset generale mandatum jam olim Episcopis factum ex legibus generalibus Imperatorum.

TITULUS XII.

DE REBUS RELIGIOSIS.

I.

EA pietatis species, quæ erga defunctos exercetur, sive cultu, sive officiis quibuscumque, proprie religio abs jureconsultis appellatur. Iterum heic adnotandum est; esse res quasdam religiosas, quæ Divinis, sacrisque rebus conjunctæ sunt. Quid enim si pius quidam testator certa bona Ecclesiæ dederit, ut missæ sacrificium quotannis in testatoris

toris suffragium celebretur, aut ut certa Ecclesia construatur, dedicetur, & ubi opus, reparetur? Religio est, testatoris voluntatem sequi, & implere: sed missarum celebrationes, Ecclesiarum dedicationes a defuncto ordinatæ Divinæ sunt res, aut sacræ.

In hisce casibus collata bona sunt in ministerio illorum, quos testator designaverit: si nemo designatus est, sunt in ministerio rectoris Ecclesiæ, in qua res Divina, aut sacra agenda est: annua eleemosyna a testatore præstituta semper cedit dispensationi illius, qui rem Divinam, aut sacram agit: ipsa vero res Divina, vel sacra modum accipit ex auctoritate Episcopi, ad quem pertinet sacra omnia, & Divina dirigere.

II.

Dixi in primis, religionem in defunctos exerceri cultu, eo nimirum casu, quo declaratum ab Ecclesia sit defunctorum quorundam animas jam in Cœlo cum Christo regnare. Huc spectat cultus, quem exhibemus in Sanctorum reliquias, quæ propterea res religiosæ appellantur. Reliquiarum vetustissimus est in Ecclesia cultus, minime sane distinctus a cultu Sanctorum: ergo cultus in eas tantum reliquias exhibendus est, quas constat revera esse Beatorum, sive constet

de Beati nomine, & singulari persona, sive non constet.

Quando non constat de singulari persona, & nomine Beati defuncti, tunc dicuntur reliquiæ baptizari, dummodo alias constet illum Beatum esse, cujus reliquiæ sunt. Baptismus iste, uti vulgo loquuntur, nihil aliud est, quam nominis impositio. In nominis impositione, nonnisi nomina appellativa, idest pluribus communia, usurpantur, sive græca, uti Theophyli, Theodori, sive latina, uti Pii, Felicis, Victoris, & similia. Hac ratione nulla est mendacii suspicio.

III.

Postquam beatificationis ritus a ritu canonizationis distinctus est, non idem omnino cultus exhibetur beatificatis, & beatificatorum reliquiis, qui exhibetur canonizatis, & reliquiis canonizatorum. Ubi de beatificatis agatur, ratio cultus non adeo solennis est: modum accipit ex decreto beatificationis.

Beatificatio est quidem decretum Pontificis Maximi, quo declaratur, constare, defuncti alicujus animam cum Christo in Cœlo regnare, ita tamen ut novo judicio adhuc locus supersit, & ulteriori inquisitioni. Cum novo judicio caussa diremta est, & suprema Pontificis Maximi sententia accesserit,

rit, tum canonizatio appellatur. Hæc disciplina invaluit a sæculo decimotertio; olim Episcoporum judiciis hæc res relinquebatur.

IV.

Nec vendi, nec quacumque ratione adduci in commercium Sanctorum, Beatorumve reliquiæ possunt. Cum certæ sacræ ædes tantis pignoribus locupletantur, eisdem exui a nemine debent. Imo decet, reliquias in sacris ædibus custodiri; nisi de reliquiis minus insignibus agatur, quæ privatim ex venia Episcopi detinentur pietatis, religionisve fovendæ caussa. Insignes reliquiæ dicuntur, cum agitur aut de toto defuncti corpore, vel de spectabili corporis parte, vel etiam de ea singulari corporis parte, in qua martyr passus est.

V.

Dixi secundo loco, exerceri religionem in defunctos officiis. Hæc sunt generalia officia, quibus eos omnes prosequi decet, qui in pace Ecclesiæ defuncti sunt. Non amplius memoro, religiosum esse, ea exequi, quæ pia voluntate fuerint a defuncto præstituta, ad opera pietatis in proximum, ad remedia peccatorum, ad salutem animæ, præsertim si hæc cum certo cultu sacrorum, & Divinorum conjuncta sint. Commemorare nunc ju-

vat veluti res religiosas, loca ad sepulturam cadaverum parata, item funus, & funeris rationes.

VI.

Olim in Ecclesia receptum erat, ut extra loca sacra mortuorum fidelium cadavera tumularentur. Primum in loco sacro locabantur martyrum exuviæ, item Sanctorum Confessorum. Paullatim factum est, ut prope altaria tumularentur cadavera Episcoporum, & clericorum, quorum virtutes egregiæ fuissent. Quod facile, & vulgare erat, clericos omnes vita functos laudare, Episcopi omnes, & clerici in sacris ædibus tumulari inde cœperunt. Cur non & laicis idipsum concederetur, si optime de Ecclesia meriti viderentur? Sensim hæc res inolevit. Primum enim cemeteria prope sacras ædes constructa sunt, deinde erecti tumuli in atriis, in porticubus, in exedris ædium sacrarum. Tandem in ædibus ipsis sacris excavata sepulcra sunt, in quibus passim cadavera fidelium sepelirentur, remanentibus adhuc cemeteriis prope sacras ædes, veluti amplioribus, ad usum commodiorem. Eam ob caussam cœpit cemeteriis stato ritu benedici, & cemeteria eodem pene jure censeri debuerunt, quo ædes ipsæ sacræ, seu ædium sacrarum accessiones.

VII.

VII.

Persuasum fuit fidelibus, se magis adjuvari posse meritis Sanctorum, si eorum cadavera ad Sanctorum reliquias tumularentur; item se magis adjuvari fidelium orationibus, si eorum cadavera tumularentur in eo loco sacro, ubi frequentior erat conventus populi, & quotidianæ fierent orationes. Hinc frequentius sepeliebantur cadavera in basilicis, quas martyrum reliquiæ exornabant, in cathedralibus Ecclesiis, item in parochialibus, aut conventualibus, in quibus scilicet magnus erat frequens populi conventus, & quotidianæ orationes habebantur. Res eo devenit, ut locus sepulturæ juribus Ecclesiarum parochialium accenseretur, ita ut hodie jure ordinario quis debeat in parochiali Ecclesia tumulari.

Dioo jure ordinario; ut indicem exceptionem adversus regulam, ea in specie, qua quis extra parochialem Ecclesiam sepulturam elegerit. Electio duplex est, expressa, & tacita. Expressa est, quæ facta demonstratur a defuncto, etiam actu minus solenni, dummodo certo, & dummodo ab eo, qui consensus capax sit. Tacita est, cum in certa familia jus sit sepulcri familiaris, aut hereditarii; etenim cum unusquisque præ-

ſumatur, velle ſe tumulari in ſepulchro majorum, tacite videtur in eo tumulo ſibi ſepulturam elegiſſe.

VIII.

Funus etiam in vetere Eccleſia fiebat cantu pſalmorum; neque enim videbatur mors fidelium luctibus, & luctuum ſignificatione excipienda. Potius gratulandum erat cum defunctis, quod ad æternam felicitatem tranſiviſſent. Hæc pſalmodia perpetuo in uſu fuit, & etiamnum eſt. Cum locus ſepulturæ ordinarius deſignari cœpit in ædibus ſacris parochialibus, tum etiam funus, & funeris rationes juribus parochialibus adſcribi debuerunt. Elevatio cadaveris ritu ſacro in defuncti domo facienda inter jura mere parochialia relata eſt: eadem ratione parochorum eſſe debuit funus ducere uſque ad ædes ſacras, in quibus cadaver eſt tumulandum. Si tumuletur in parochiali Eccleſia, Parochi eſt ceteras funeris partes perſequi. Si tumuletur in alia Eccleſia, quæ parochiali Eccleſiæ obnoxia non ſit, ceteras funeris partes in hac Eccleſia perſequuntur ejuſdem Eccleſiæ adminiſtri.

IX.

Conſueverunt occaſione funeris quædam fieri aut Eccleſiis, aut clericis oblationes.

Si

Si defunctus supremo elogio quædam certis Ecclesiis reliquisset, certam portionem, ut plurimum quartam, sibi quandoque vindicabat Episcopus, in vestigium generalis administrationis, quam quisque Episcopus olim habebat in rebus omnibus Ecclesiarum. Hæc quarta episcopalis hodie fere exolevit. Si defuncti heredes aut sponte, aut ex dispositione defuncti, oblationes contulerint occasione funeris in Ecclesiam electam a parochiali distinctam, vel in clericos Ecclesiæ electæ, harum oblationum quartam portionem debent heredes Parocho tribuere. Hæc quarta parochialis modum accipit ex consuetudinibus regionum; licet enim ut plurimum quarta portio sit, unde quartæ nomen accepit, alicubi tamen tertia est, alicubi dimidium.

TITULUS XIII.

De juribus quibusdam singularibus in rebus Divinis, sacris, piis, ac religiosis.

I.

JURA omnia rebus Divinis, aut sacris, piis, aut religiosis cohærentia, ad duo summa capita rediguntur. Siquidem alia sunt jura realia, quæ rebus ipsis inhærent;

alia personalia, quæ in personis consistunt, & ad easdem res referuntur.

Utraque jura incorporalia sunt: naturam, & indolem induunt rerum, vel quibus cohærent, vel ad quas referuntur. Proindeque nullo modo in commercio esse possunt.

II.

Jus profecto reale est immunitas, quæ duplex est, modo localis, modo realis. Localis dicitur, quæ concessa fuit ædibus sacris, aut locis religiosis, qualia sunt cemeteria, aut locis, quæ sunt ædium sacrarum adminicula, quales sunt ædes episcopales, aut parochiales sacris ædibus cohærentes. Consistit hæc immunitas in eo, quod rei criminum ab eisdem locis non abstrahantur. Realis dicitur immunitas, quæ prædiis Ecclesiarum competit, ita concessa, ut communibus reipublicæ oneribus minime subsint.

III.

Localis immunitatis Imperatorum constitutionibus æque ac sacris canonibus tributæ hæ caussæ fuerunt. Prima, quod in Judaica Republica certæ civitates refugiorum divinitus designatæ fuerint, ad quas confugientes homicidæ tuti essent. Pro civitatibus refugii congruum visum fuit inter Christianos, sacra loca, & sacris cohærentia designare.

Alte-

Altera caussa fuit intercessio Episcoporum, qui cum reos ad Ecclesiam confugientes pœnitentiis publicis subjicerent, tum rogabant, ut eam ob rem a vindicta publica eximerentur. Postrema caussa fuit, ut honos quidam in loca sacra, & sacris cohærentia servaretur, ne in iis hostili pene more in reos ageretur. Sensim hæc immunitas amplificata fuit eo usque, ut rei abuterentur. Suasit inde publica utilitas, ut certis finibus coërceretur, mutua consensione utriusque potestatis. Hanc ob rem maxime hodie observandi sunt aut mores provinciarum, aut inita concordata.

IV.

Realis immunitas iterum Imperatorum constitutionibus æque ac sacris canonibus tributa fundamentum habuit in eo, quod deceret, sacras ædes sine diminutione fructuum commode instrui, & ornari ex collatis prædiis, item administros Ecclesiæ sine diminutione fructuum prædialium sustentari, præsertim quia quod superesset, erat in pauperes, piasque ceteras caussas erogandum. Cum Ecclesiæ, ecclesiasticique administri valde locupletati successione temporum fuerunt, tum late protensa immunitas visa fuit gravis illis, qui soli onera publica ferre deberent. Hinc recentioribus sæculis debuit eadem immuni-

tas

tas certis limitibus circumſcribi. Qua iterum in re mores Provinciarum, & publice inita concordata attendi neceſſarium eſt.

V.

Ut nunc de juribus perſonalibus loquar, vix opus eſt commemorare jura generalia, quibus chriſtiana communio conſtat. His juribus gaudent fideles omnes pro modo ſuo, & juxta ordinem, ac gradum, in quo collocantur. Hinc alia dicitur communio clericalis, alia laica. Clericalis diſtinguitur in tot gradus, quot gradibus eccleſiaſtica hierarchia conſiſtit. Eam ob rem alia eſt communio epiſcopalis, alia presbyteralis, alia diaconalis, alia adminiſtrorum inferiorum. Vi clericalis communionis unuſquiſque Epiſcopus jura explicat in res Divinas, ſacras, pias, religioſas, quæ epiſcopali gradui tributa fuerunt. Æquabiliter jura explicat unuſquiſque presbyter, quæ presbyterorum ordini tributa ſunt. Æquabiliter diaconus, aut clericus quicumque inferior. Laica communio diverſa quoque eſt, quæ fidelibus pœnitentibus conceditur, ab ea, ad quam admittuntur fideles, aut nunquam in pœnitentium ſtationes ejecti, aut poſt pœnitentiam reconciliati. Pœnitentes minora jura explicant, quam ceteri.

Ex

Ex his liquet, clericos aliquando ejici in pœnam criminis in laicam communionem, quod nihil aliud eſt, quam exui juribus clericæ communionis propriis; imo & quoſdam de clero ejici aliquando de gradu ſuo majore in inferiorem, utut adhuc in clero; quod nihil aliud eſt, quam exui juribus ſui majoris ordinis ſingularibus.

Fuit apud veteres quædam communionis ſpecies, quæ peregrina dicebatur. Erat autem communio, quæ advenis concedebatur, quotieſcumque non conſtaret ex formatis epiſtolis Epiſcoporum, in quonam clericorum, vel laicorum gradu conſtituti eſſent. Hi peregrini in loca ſecreta recipiebantur, nimirum ab Eccleſia ſegregata, non denegatis neceſſariis ſubſidiis, donec qui, qualeſque eſſent, conſtaret.

VI.

Præter hæc generalia chriſtianæ communionis jura, ſunt quædam jura ſingularia, quæ in res ſacras, ſacriſve cohærentes, item in res pias ac religioſas, competunt aut certo perſonarum generi, aut certis perſonis. Quod ſingularia jura ſint, non facile præſumuntur, ſed qui ea allegat, demonſtrare debet ea ſibi competere. Hujuſmodi ſunt jura electionum, item jura patronatus, aut quæ

prope

prope ad patronatum accedunt, qualia sunt jura advocatiæ, vel custodiæ.

Duplicem ob caussam singularia dici quædam jura possunt; primo, si sint singulari titulo præter jus commune quæsita: hoc casu verum est, quod modo notabam, demonstrandum esse titulum ab eo, qui allegat; deinde si competant quidem jure communi, sed certo personarum generi: hoc casu non opus est tituli demonstratione. Ipsa generalis juris constitutio titulum præbet; satis est, ut qui allegat, jus sibi competere, demonstret, se esse de eo personarum genere, cui jus commune favet.

VII.

Jus electionis competere solet collegiis, aut universitatibus, sive agatur de eligendo collegii, aut universitatis Præside, sive agatur de eligendis iis, qui collegium, universitatemve componunt, sive collegium, aut universitas coëat caussa Divinorum, aut sacrorum, sive coëat caussa rerum piarum, aut religiosarum. Electio ordinaria fit aut suffragiorum diremtione, aut compromisso. Sic collegium Cardinalium eligit Pontificem Maximum. Sic jure communi electio Episcopi ad Capitulum cathedralis Ecclesiæ pertinet. Sic quandoque canonici a canonicorum collegio

gio eliguntur. Olim etiam totius cleri suffragio eligebantur ii, qui in clerum essent adsciscendi, imo & totus populus convenire solebat, ut electio cleri comprobaretur. Sic monachi suum Præpositum eligunt, ceterosque monasterii administros, ac suffragia ferunt in receptione fratrum. Sic denique universitates, ad quas rerum aut piarum, aut religiosarum cura pertinet, suos Præsides eligunt, administros, ac curatores universos.

VIII.

Jus patronatus est jus quoddam singulare in certis honoribus, commodisque consistens, cui certa etiam onera cohærent, iis concessum, qui Ecclesias fundaverunt, dotaverunt, vel restauraverunt, & illis, qui ab eisdem caussam habent. Qui hoc jure patronatus gaudent, patroni vocantur. Commodum patronis concessum in eo situm est, quod patronis indigentibus Ecclesia occurrere debet. Honores patronis concessi, modo plures, modo pauciores pro ratione temporum demonstrantur. Antiquissimus honor est, quo fundatores sua nomina sacris ædibus inscribebant: præter nomina datum est pingere familiaria insignia, cum hæc in usu esse cœperunt. Alter honos dicebatur apud veteres *jus processionis* in eo consistens, quod patrono primus locus

locus in Ecclesia, & in ecclesiasticis officiis inter laicos adsignaretur. Hinc profluxit honor sedis in Ecclesia dignioris, honor sepulturæ in eadem Ecclesia distinctæ, honor thuris, & aquæ, & panis benedicti, & similes. Inter honores magis spectabiles hodie habetur jus præsentandi clericos in beneficio patronato instituendos. Onus patronorum est Ecclesiam, ubi opus sit, restaurare.

Aliud est juspatronatus in Ecclesia, aliud in beneficio; licet enim sæpe & Ecclesia, & beneficium erigantur, quo casu qui erigit & in Ecclesia, & in beneficio patronatum nanciscitur; quandoque tamen aut Ecclesia sine beneficio, aut beneficium sine Ecclesia erigitur. His in casibus qui tantum Ecclesiam erigit, patronus tantum Ecclesiæ; qui tantum beneficium erigit, patronus tantum beneficii est. Ubi tantum in Ecclesia juspatronatus adquiritur, locum habent honores superius memorati, non vero jus præsentationis. Ubi tantum in beneficio juspatronatus adquiritur, locum habet jus præsentandi, non vero ceteri honores in Ecclesia.

Siquis non Ecclesiam, sed cappellam in Ecclesia erexerit, eosdem honores in cappella nanciscitur, quos nancisceretur in Ecclesia, si Ecclesiam ædificavisset.

IX.

IX.

Jus præsentandi ad beneficium patronatum olim ita habebatur, ac si esset commendatio quædam a patrono facta apud Episcopum, qui tamen patrono præsentanti morem gerere tenebatur, dummodo præsentatus dignus alias, atque idoneus comprobaretur. Recentioribus sæculis præsentatio certam formam accepit. Tum enim fieri dicitur, cum patronus præsentem coram collatore beneficii constituit eum, quem optat. Si tantum designat eum, quem institui desiderat, tunc simplex nominatio dicitur, nondum autem præsentatio. Nihil refert, an per se patronus præsentet, an per procuratorem. Etiam qui præsentatur, potest se apud instituentem per procuratorem sistere, dummodo instituens consentiat. Præsentatio, imo & nominatio tum demum fieri potest, cum beneficium vacat. Certa quoque tempora jure sunt definita, intra quæ præsentatio fiat, post quæ libera sit collatoris ordinarii facultas: neque enim sufficit, intra tempus legitimum nominationem fieri, nisi nominatus insuper præsentetur.

X.

Adquiritur juspatronatus fundatione Ecclesiæ, vel beneficii, dummodo fundatio sit undecumque perfecta. Qui Ecclesiam tantum

ditat,

ditat, aut adjuvat, is benefactor, non patronus Ecclesiæ dicitur; nisi agatur de Ecclesiæ dirutæ restauratione, aut de beneficii redotatione, aut de tali dotis augumento, quod insigne sit; tunc enim auctoritate prælatorum Ecclesiæ, adhuc potest juspatronatus adquiri. Etiam præscriptio modus legitimus est adquirendi patronatus. Imo & aliquando patronatus ex privilegio adquirebatur. Hodie hæ caussæ patronatus adquirendi modum acceperunt ex Concilio Tridentino, quo cautum est, ne adeo facile aut Ecclesiæ, aut beneficia patronatui subjiciantur.

XI.

Variæ sunt jurispatronatus partitiones. In primis aliud ecclesiasticum, sive clericorum est, aliud laicum, sive laicorum. Ecclesiasticum dicitur, quod competit ratione tituli ecclesiastici, & titulo ecclesiastico cohæret, ita ut de possessore tituli transeat in quoscumque ejusdem tituli successores. Ita contingit, si parocho alicui juspatronatus competat caussa tituli parochialis. Laicum dicitur, quod competat vel ratione fundationis ex bonis patrimonialibus factæ, vel ratione hereditatis, vel ratione familiæ, vel ex alia caussa, quæ inter ecclesiasticos titulos non connumeretur. Secundo aliud est hereditarium,

rium, quod in heredes quoſcumque, aliud familiare, vel gentilitium, quod in eos, qui de certa familia, vel gente ſint, transfertur. Tertio aliud ſimplex eſt, aliud reale. Reale dicitur, quod certæ rei cohæret, puta fundo, villæ, caſtro, & ſpectat ad quoſcumque rei poſſeſſores. Quod rei adnexum non eſt, ſimplex dicitur.

XII.

Certæ ſunt cauſſæ, quibus juſpatronatus amittitur. Et primo, ſi Eccleſia deſtruatur, nec reparetur, aut ſi beneficium ſupprimatur. Secundo, ſi patronus, cui libera ſit facultas, libertatem Eccleſiæ donet. Tertio deſignata ſunt in jure certa crimina, quorum reus jurepatronatus exuitur.

XIII.

Non ſolum juſpatronatus locum habet in rebus ſacris, ceu ſacris ædibus, aut in rebus, quæ Divinis cohærent, ceu beneficiis; verum etiam in locis piis, aut religioſis.

XIV.

Ab jurepatronatus diſtinguitur advocatia; quamquam hæc ad juſpatronatus prope accedere videatur. Media ætate conſueverunt Eccleſiæ certos advocatos deſignare, in quorum clientelam ſe ſe reciperent defenſionis cauſſa. Quandoque advocatia concedebatur

personis, ita, ut iis defunctis liberum foret Ecclesiæ alium sibi advocatum adsciscere; quandoque concedebatur familiæ ita, ut de parente in filios, ac nepotes devolveretur; quandoque concedebatur, veluti jus hereditarium, ad quod heredes quicumque admittebantur. Jura advocatis competentia ad certos census referebantur, item ad commeatus, ad alimenta, & similia.

XV.

Denique commemorare juvat jus custodiæ: *guardiam* barbare appellaverunt. Hujus juris occasio fuit, quod cum Ecclesiæ, vel beneficia vacarent, multi in bona ecclesiastica irruerent, atque ea occuparent. Ut occupantibus obsisteretur, selegit Ecclesia quosdam viros, de certa gente, aut familia potentiores, qui curam haberent bona vacantia custodiendi. Hisce custodibus certi honores dati, aliquando etiam concessa custodiæ, & defensionis præmia. Hodie hæc jura exoleverunt. Integra remanserunt jura supremorum Principum, de quorum pietate, ac religione maxime fidit Ecclesia: hanc ob caussam commendabilis adhuc superest Regum sollicitudo in custodiendis bonis vacantibus Ecclesiarum, aut beneficiorum, præsertim si de Ecclesiis, vel beneficiis majoribus agatur.

LIBER

LIBER V.

De criminibus, & modis, quibus rei criminum in Ecclesia coërcentur.

TITULUS I.

Quid, & quotuplex sit crimen, & quomodo in judicium deferatur.

I.


UODCUMQUE factum, dictum, vel concupitum, vel etiam prætermissum adversus legem æternam Dei, delictum est, non tamen omne delictum criminis nomine venit. Tum crimen dicitur, cum certa pœna legibus indicta est, qua reipublicæ satisfiat.

Nomine legis æternæ Dei intelligitur non solum lex quæcumque a Deo ipso hominibus data, sed etiam lex, aut præceptum hominum legitima potestate præditorum juxta Divinam ordinationem vel in Ecclesia, vel in Republica præpositorum.

II.

Quando monebat Apostolus fideles omnes, ut in hoc sæculo viverent *sobrie*, *juste*, *ac pie*, visus est delicta omnia, ac crimina tribuisse in tres species, quasi alia sint, quæ

contra nosmetipsos, ideſt contra *ſobrietatem*, alia ſint, quæ contra proximum, ideſt contra *juſtitiam*, alia ſint, quæ contra Deum, ideſt contra *pietatem* admittimus. Altera delictorum, & criminum partitio illa eſt, qua traditur, alia eſſe gravia, alia leviora, quod fere ex rei, quæ admittitur, qualitate metimur; neque enim omnia peccata paria ſunt, uti olim tradiderunt Stoici, ac Stoicorum ſectatores Novatiani. Alia etiam crimina ſunt, quæ ſpecie, ſeu qualitate; alia quæ tantum numero intra eandem ſpeciem diſtinguuntur. Clarius ac nitidius ita partiri crimina poſſumus, ut alia recenſeamus, quæ contra Deum directo admittuntur; alia, quæ contra res Deo ſacras; alia item, quæ communia ſunt & laicis, & clericis; alia, quæ ſunt ſingularia clericorum: quippe ſingulares ſunt leges clericis propoſitæ, & quæ vitam vere clericalem inſtituunt.

III.

Vulgaris eſt partitio criminum, qua alia ordinaria dicuntur, alia extraordinaria. Ordinaria dicuntur, in quibus pœna ſpecialiter a lege præſtituta eſt: extraordinaria, in quibus generaliter quidem a lege mandatur, ut pœna a reo luatur, pœna tamen non eſt a lege ſpecialiter definita. In criminibus extraor-

ſtraordinariis pœnæ definitio tota pendet a prudentis judicis arbitrio : in ordinariis judex debet legis definitionem exequi.

Ex doctrina Innocentii III. in cap. 21. de accuſ. judex aliquando poteſt pœnam legitimam in criminibus ordinariis moderari; quando ſcilicet non ab accuſatione judicium cœperit, & agatur de pœna, quæ non ipſo jure incurratur. Secus, ſi judicium cœperit ab accuſatione, aut ſi ſententia judicis tantum opus ſit, ut declaretur, quidnam, aut quodnam pœnæ genus reus incurrerit ex juris poteſtate etiam ſine hominis facto.

IV.

Quatuor modis crimina in judicium deferri poſſunt, ideſt, accuſatione, denunciatione, exceptione, inquiſitione. Accuſatio eſt modus omnium antiquiſſimus: exceptio origine ſua accuſationes, & accuſandi jura exæquat; ſed in ea, non tam quod publice, quam privatim intereſt, quiſque perſequitur. Denunciatio, & inquiſitio valde affines ſunt, quia denunciatio ſine inquiſitione irrita fieret.

V.

Itaque accuſatio eſt delatio criminis in judicio cum nominis inſcriptione. Ergo accuſatorem nomen ſuum inſcribere neceſſe eſt. Quod exequitur actor in judicio civili, id

exequitur accusator in judicio criminali. Tantum actor in judicio civili persequitur, quod sua interest: accusator in judicio criminali personam læsæ reipublicæ sustinet, & quod publice interest, persequitur. Debet accusator semel instituta accusatione judicium usque ad sententiam persequi, secus calumniæ crimen incurrit. In accusando popularis caussa agitur, unicuique de populo competens: qui primus ad accusandum accedit, ceteros jure præventionis excludit. Sunt quidam, qui moribus, aut lege ab accusando rejiciuntur. Accusatoris est crimen probare: si non probaverit, aut potiore jure si reus innocentiam suam demonstraverit, jure communi, & ordinario accusator puniendus est pœna talionis, idest eo pœnæ genere, qua accusando voluit plecti accusatum.

VI.

Exceptione crimen in judicium defertur ab eo, qui accusatus est, si hic velit accusatorem abs judicio repellere. Ergo qui crimen excipit, non vindictam publicam intendit, non personam reipublicæ sustinet: tantum persequitur, quod sua interest, & cum crimen contra accusatorem objicit, tum petit abs judice, ut accusator a limine judicii ejiciatur.

VII.

VII.

Denunciatio partim cum accuſatione convenit, partim ab accuſatione diſtinguitur. In eo convenit, quod denunciatio ſit delatio criminis apud judicem facta a certa perſona: item in eo, quod a denunciatione judicium incipit. In eo vero diſtinguitur, quod denunciator nec nomen ſuum inſcribit, nec tenetur judicium ſuſtinere inſtar actoris, nec agit ad publicam vindictam, ſed ad rei correctionem. Judex accepta denunciatione ex officio cauſſam dirimit, & definit, ac ſi ab inquiſitione judicium incipiat.

Si reus poſtulet, tenetur denunciator nomen ſuum in curia Ordinarii inſcribere, ſaltem ſecreto, ut quo caſu appareat gravis in denunciante calumnia, tum petente reo denuncians ipſe puniatur.

VIII.

Inquiſitio fit abs judice ex officio, ſive præcedente, uti modo notabam, privati alicujus denunciatione, ſive præeunte admiſſi criminis fama. Cum in hac judicii ſpecie deficiat accuſator, nec ſit qui ſuſtineat partes actoris, moribus receptum eſt, ut auctoritate publica conſtituatur, qui judicium adverſus reum ſuſtineat. Hunc appellant promotorem fiſci, ſeu promotorem fiſcalem. Cum

hic ex officio agat, atque agere debeat, nulli pœnæ obnoxius eſt, etiamſi in probatione deficiat. Satis eum excuſat agendi neceſſitas: niſi tamen calumnia ſit manifeſta. Inquiſitio duplex eſt, generalis, quæ fit ab Epiſcopo, dum diœceſim viſitat, & inquirit in reos corrigendos; ac ſpecialis, quæ fit extra cauſſam viſitationis inſtante fiſcali promotore, certo delato crimine, & criminis reo. In generali inquiſitione Epiſcopus procedit potius more patrisfamilias; in ſpeciali vere judicem agit.

TITULUS II.

DE FORMA, ET ORDINE JUDICIORUM CRIMINALIUM.

I.

SICUT in ceteris bene multis, ita & in forma, atque ordine judiciorum criminalium varia pro varietate temporum fuiſſe deprehenditur eccleſiaſtica diſciplina. Suos habuit mores, ſuaſque leges ætas antejuſtinianæa; ſuos mores, ſuaſque leges habuerunt ſequentes ætates uſque ad ſæculum duodecimum, poſt quod decretales Pontificum Maximorum normam judiciis præbere potuerunt; ſuos denique mores, ſuaſque leges ha-

buerunt

buerunt recentiora tempora; ut omittam dicere, etiam singulares fuisse, atque etiamnum esse variarum provinciarum consuetudines.

Hinc hodie hae in re non tam inquirendum est, quid scripti juris codicibus contineatur, quam quid invexerint mores publica auctoritate comprobati.

II.

Olim ab apostolica ætate usque ad Justinianum Principem, seu ad sæculum sextum, planior erat, atque expeditior in Ecclesia criminalium judiciorum forma. Crimina a criminibus distinguebantur: in hac distinctione quærebatur, an crimina talia essent, quæ legibus publicis coërcita pœnis essent, ceu reipublicæ perniciosa: an talia essent, quæ tantum ex sententia canonum pœnis, aut pœnitentiis publicis coërcerentur; item an graviora essent, an leviora. Item rei a reis secernebantur: in hac parte quærebatur, an qui crimen admisissent, clerici essent, an laici. Non æqualis erat in omnibus speciebus ratio procedendi.

Erant etiam crimina quædam, adversus quæ & publicis legibus pœna dicta erat, & canonibus aut pœna ecclesiastica fuerat imposita, aut publica pœnitentia, ceu in homicidio, in perjurio, in adulterio, in blasphæmia, & similibus. VIII.

III.

Etiamsi leviora crimina essent, atque etiam extra pœnam legibus publicis obeundam: tum seu admissa essent a clericis, seu a laicis, mutua charitas unumquemque fidelem suadebat, ut reum corriperet, quæ appellabatur fraterna correctio. Si reus nihilominus pervicax in deliquendo consisteret, qui corripuit, denunciabat reum apud Episcopum, qui auctoritate sua gravius reum admonebat; & si hic contumax inde fuisset, Episcopus aut pœnitentia publica eum damnabat, aut censuris terrebat pro modo contumaciæ.

Hæc denunciatio, quæ dicitur evangelica, admodum distat ab illa denunciatione judiciali, de qua mentionem feci in præcedente titulo num. 7. & 8., & quæ locum facit hodie inquisitioni speciali.

Huic denunciationi proxima est alia denunciationis species, quæ canonica appellatur, & locum habet, ubi avertendum est delictum necdum admissum, quod admitti timetur; veluti cum quis impedimenta denunciat futuri matrimonii, aut futuræ ordinationis clericorum, ut matrimonium, & ordinatio, quæ alias illegitime fierent, non admittantur.

Harum

Harum denunciationum, sive de evangelica, sive de canonica agatur, praecipuus finis est, & semper fuit fraterna correctio, atque emendatio; quando e converso post denunciationem judicialem adhuc monere reum potest publica vindicta.

IV.

Cum graviora crimina essent, sed ex iis, quae canonibus tantum ecclesiasticis poena coërcebantur; tum excitabatur Episcoporum sollicitudo, ut juxta canonum sententiam aut ad indicendas poenitentias publicas, aut censuras, aut poenas ecclesiasticas deveniretur, sive clerici rei essent, sive laici. Cum e converso graviora crimina essent, quibus dicta foret publicis legibus poena, ceu reipublicae perniciosis; tum judicia de hoc criminum genere magistratibus publicis relinquebantur, sive rei clerici essent, sive laici. Tantum Episcopi apud Principes, magistratusve publicos intercedebant, ut poenas sanguinis non inferrent, sinerentque potius, ut reus ad Ecclesiam conversus, praesertim si jam ad Ecclesiam confugisset, poenitentia publica diu peragenda in Ecclesia expiaretur, eaque ratione reipublicae aeque, ac Ecclesiae satisfieret.

Si

Si talia erant crimina, contra quæ leges publicæ æque ac canones ecclesiastici pœnam dixissent, hinc Episcopus ad pœnam canonicam inferendam progrediebatur: illinc publici magistratus, quod sui muneris erat, implebant, nisi Episcopus intercessisset, & non inanis intercessio fuisset.

Ubi judicio Episcopi caussa dirimebatur, hoc discrimen intercedebat inter clericum, & laicum reos, quod laicus aut anathemate, aut censura damnaretur, aut in publicam pœnitentium stationem ejiceretur; clericus deponeretur a gradu, imo & penitus ab Ecclesia ejiceretur, si crimen atrocissimum esset; nunquam publicæ pœnitentiæ addiceretur sententia episcopali. Tantum admittebatur ad pœnitentiam publicam clericus, si postquam anathematizatus esset, & omnino ab Ecclesia ejectus, pœnitentiam devote poposcisset, qua tamen in specie nunquam in clericalem ordinem restituebatur.

V.

Præterea ante Justiniani tempora, vix adparet usus procedendi per specialem Episcoporum inquisitionem. Facilius constare potest de usu inquisitionis generalis, in qua tamen Episcopus non judicem agebat, sed providum patrem. Accusatio erat modus ordina-

dina-

dinarius, quo crimina apud Episcopum deferrentur. Ceterum accusatus poterat adversus accusatorem se se alterius gravis criminis exceptione tueri, ideft accusatorem ab accusando repellere. Re enim vera nonnisi viri probi, & de calumnia haud suspecti admittebantur. Si de presbyteri accusatione ageretur, nonnisi cum magna circumspectione accusatio admittebatur, videlicet accusator, etiam antequam criminis probationes ederet, in ipso accusationis actu, duos, aut tres testes adducere debebat.

Id consonat cum præcepto Paulli Apostoli, qui in epistola 1. cap. 5. ita Timotheum monebat: *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*.

VI.

Hæc accusatio, si de clericis Episcopo inferioribus ageretur fiebat apud Episcopum, in conventu cleri totius. Si reus de Episcopali judicio quereretur, apud Superiorem, ut plurimum in Synodo provinciali judicium retractabatur. Ubi vero de Episcopo ipso ageretur, in provinciali Concilio caussa proponebatur, e cujus Concilii definitione totum negotium pendebat.

VII.

VII.

Reus accusatus in judicium vocabatur, si citatus non compareret, etiam tertio vocabatur, edicto proposito peremtorio, juxta modum agendi in civilibus caussis. Si nec tertio vocatus se in judicio sisteret, contra ipsum, ceu contumacem, procedebatur. Si comparuisset, ejus exceptiones recipiebantur, sive quibus accusatorem ab judicio repelleret, sive quibus suam innocentiam demonstraret. Hæc simpliciter, & veluti summario judicio peragebantur. Interveniebant notarii, qui & libellum accusationis, & defensiones rei, & testium monumenta scripto commendabant. Ubi crimen probatum esset aut monumentis ab accusatore prolatis, quibus reus convinceretur, aut ipsa rei confessione, contra reum juxta canones sententia proferebatur. Ubi accusator in probatione deficeret, & de rei innocentia constaret, reus absolvebatur, & accusator plectebatur talione, idest eadem pœna, quam voluit de accusato sumendam. Si res dubia adhuc esset, cogebatur reus, ut se se jurejurando purgaret apud Sanctorum Martyrum reliquias. Cum reus jurejurando testatus fuisset innocentiam suam, tanquam pro innocente sententia pronunciabatur.

VIII.

VIII.

Interea si clerici quemquam accusare vellent de publico crimine, monebantur, ne id facerent Episcopo inconsulto, imo potius, ut crimen Episcopo denunciarent, spe concepta, futurum, ut Episcopus pii parentis more & reo consuleret, & reipublicæ utilitati prospiceret, reum ipsum emendando, & certæ pœnitentiæ juxta canones subjiciendo.

IX.

A temporibus Justiniani Imperatoris visa est disciplina paullisper immutari. Quippe idem Imperator, postquam in nov. 83. statuisset quidem crimina a clericis admissa a Præsidibus provinciarum cognosci oportere, sed extra ordinem, idest, ut ipse ait, *non transcendente lite duorum mensium spatium, & ad sacrorum canonum præscriptum*; deinde in novella 123. cap. 8. decrevit, se non permittere *citra imperialem jussionem* Episcopum pro qualibet caussa, etiam criminali, ad civilem judicem, vel militarem producere, aut exhibere invitum; & in cap. 21. ejusdem novellæ generaliter de caussis clericorum, & monachorum ita statuit: *si crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum personarum, clericorum, monachorum, diaconissarum, monastriarum, ascetriarum inferatur: siquidem apud Episcopum aliquis*

junctorum. In primis raro fiebant conventus clericorum apud Episcopum, minus quoque frequentia erant Concilia provincialia. Ergo in caussis criminalibus Episcoporum raro eveniebat, ut judicium fieret. In caussis clericorum inferiorum, soli Episcopi sine cleri conventu non semel judicium sustinebant, reosque deponebant. Hinc querelæ graves, ac communes. Secundo a temporibus Justiniani res Græco-Romani Imperii in pessum ire cœperunt in occidentali Ecclesia: publicorum magistratuum a Græcis Imperatoribus præpositorum potestas contemtui habebatur. Principes hostes Imperii Episcoporum gratiam sibi conciliantes, multum Episcopis deferebant, ac sæpe numero Episcopos in consortium publici regiminis admittebant. Hinc major evasit, ac liberior potestas Episcoporum in criminalibus caussis præsertim clericorum, sive quod Imperatorii magistratus præsto non essent, sive quod hostes Imperii in occidente dominantes multa Episcopis indulgebant. Interea prodiit collectio decretalium Isidori Mercatoris. Nulla pene decretalis hujus generis est, quæ non agat de rationibus judiciorum criminalium. Accusationes non Episcoporum modo, sed & minorum clericorum coërcitæ. Probationes cri-

minum difficiles redditæ: elevata provincialium Conciliorum auctoritas: Episcoporum dejectio inter caussas majores relata, proindeque Romano Pontifici reservata. Ubi Imperium in frusta discissum est, passim Episcopi una cum missis, sive delegatis Principum oppida, & urbes lustrabant, judicia quæque etiam criminalia indiscriminatim exercebant; inquisitio generalis in reos certis formulis instituta est. Insuper cum Gothi, Vandali, Longobardi, atque hujus generis homines Europæ dominantes multos suos ritus judiciales invexissent, ritus iidem etiam in judiciis ecclesiasticis recepti sunt. Inter istos ritus fuit purgatio reorum vulgaris, quæ locum habebat, ubi reus accusatus in suspicionem criminis adduceretur, nec satis crimen probatum esset, ubi testes testibus repugnarent, ubi accusator de calumnia suspectus esset: fiebat autem per ferrum candens, per aquam fervidam, per aquam frigidam, & similia, imo etiam monomachia, sive duello. Qui illæsus a discrimine exiret, innocens habebatur; contra eum, qui in discrimine victus fuisset, sententia proferebatur. Episcopi, ac Sacerdotes sacris officiis hanc vulgarem purgationem auspicabantur, Deum tentantes, & pene Divina miracula expectantes. Certe hæc

ratio

ratio non in omnibus Ecclesiis peræque probabatur, imo alicubi, præsertim auctoritate Maximorum Pontificum, damnata est. Præterea jura feudorum inducta, in quibus fides vassallorum in conspectu parium curiæ jurejurando spondebatur, adhibitis etiam pluribus jurisjurandi sociis, qui conjuratores dicebantur, occasionem præbuerunt novo purgationis generi, quo scilicet qui suspectus erat, aut de crimine reus, aut de calumnia accusator, aut testis, jurejurando suam innocentiam testabatur, adhibitis conjuratoribns numero plurimis. Hanc appellaverunt purgationem canonicam, propterea quod fuerit canonibus Antistitum confirmata præ purgatione vulgari. Denique ad instituenda judicia publica Episcoporum in caussis criminalibus clericorum plurimum valuit constitutio Friderici Imperatoris, quæ legitur in authentica *statuimus* cod. de Epitc. & cleric., & qua statutum est, neminem posse etiam in criminali caussa ecclesiasticam personam trahere ad sæculare judicium.

Utut hæc constitutio edita fuerit, ac promulgata, non tamen peræque inter varios illius ætatis Imperii casus observata moribus est in omni criminum genere: eam ob rem, qui de foro episcopali tunc scri-

pſerunt, diſputationibus potius rem diſcutiebant, quam certis doctrinis. Gratianus ipſe canonum collector, & ſcholarum parens ſæculo duodecimo ita digeſſit hujus generis quæſtiones in cauſſa 11. qu. 1., ut vix quid ipſe ſentiret, propoſuerit.

Notandum eſt, etiam inter hæc temporum adjuncta, deſiiſſe propemodum ordinariam diſciplinam publicarum pœnitentiarum. Iſtæ paſſim vel eleemoſynis redimebantur, vel peregrinatione, aut ſuſcepta contra infideles militia commutabantur. Eam ob rem epiſcopale forum in criminalibus cauſſis perraro eo tendebat, ut publicis pœnitentiis rei cum effectu addicerentur. Tantum exercebant Epiſcopi judicia criminalia, cum ad pœnas legitimas deveniendum eſſet, aut ad cenſuras adverſus contumaces.

XI.

In hoc rerum ſtatu deventum eſt ad ea tempora, quibus editæ ſunt decretalium collectiones ſub finem ſæculi duodecimi, & recentiore ætate. Cœperat tunc ſtudium civilis Romanæ prudentiæ jungi ſtudiis eccleſiaſticæ diſciplinæ. Fora ipſa publica novam formam acceperant ex moribus plurium nationum. Juriſdictio epiſcopalis aucta plurimum fuerat. Ergo forum eccleſiaſticum in-

ſtar

ſtar fori publici inſtitutum, fori, inquam publici, quod partim dirigebatur legibus Romanorum, partim moribus variarum nationum. Tum fuit recepta ſpecialis inquiſitio, tum inſtituti promotores fiſcales, qui accuſatoris vice fungerentur, eamque ob rem accuſatio omnis pene exolevit: tantum admiſſa denunciatio, quæ inquiſitioni ſpeciali viam ſtrueret. Quando Synodorum infrequens erat conventus, ſoli Epiſcopi ſæpe judicis partes ſuſtinebant juxta mores jamdiu receptos, conquerentibus ceteroqui clericis univerſis. Juxta decretales Iſidorianas cauſſæ criminales Epiſcoporum ad Pontificem Maximum referebantur. Epiſcopi plures loca conſtruere cœperunt ad reorum cuſtodiam; inde opus habuerunt apparitoribus, & miniſtris curiæ. Ut verbo dicam, epiſcopale forum inſtar fori publici eſſe cœpit. Interea quando plures clerici conquerebantur, reſcriptis Maximorum Pontificum multa exacta ſunt ad veterum canonum diſciplinam: hæc reſcripta collectionibus decretalium inſerta ſunt, & in jus commune abiverunt. In Conciliis ſequentibus, præſertim in Tridentino, plura etiam ſalubriter decreta, ac compoſita. Denique ut publica utilitas cum clericorum honore, & Eccleſiarum decore, cum moribus etiam diu

 firmatis,

firmatis, ac privilegiis clericalibus conciliaretur, ac componeretur, initæ sunt pactiones consensione utriusque potestatis, sive ratione certorum criminum, in quibus clerici adhuc judiciis publicis subjiciantur, sive ratione formæ in judiciis episcopalibus observandæ; præsertim pœnæ inferendæ. Ubi publicæ pactiones non expresse intercesserunt, consuetudines diu receptæ plurimum valent. Ergo hodie res hæc universa aut moribus, aut concordatis regitur, ac pendet.

TITULUS III.

DE CRIMINIBUS

Directo contra Deum admissis.

I.

ETsi in omni criminum genere contra Divinas leges delinquatur, quædam tamen, eademque atrocissima crimina sunt, quibus directo Divina ipsa majestas violatur. Hujus generis sunt spreta Christi religio, hæresis, dœmonis invocatio, blasphæmia, spreta vel jurisjurandi, vel voti religio.

II.

Spernere dicuntur Christi religionem vel qui idolatriæ serviunt, vel qui judaicam adhuc

huc superstitionem sequuntur; magis autem quicumque post Baptismum susceptum, fidem penitus deserunt, & apostatæ dicuntur, quasi fidei desertores.

III.

Hæretici dicuntur quotquot præcipua adhuc Christianæ fidei fundamenta retinentes, in aliquibus tamen, vel etiam in uno dogmate ab Ecclesia dissentiunt. Pro dissentiente habetur, etiam qui de dogmate dubitat. Ergo hæresis est denegatus assensus erga fidei dogmata. Dogma fidei tum est, cum certa propositio a Deo revelata est, & tanquam revelata ab Ecclesia proponitur. Revelatio deducitur ex verbo Dei aut scripto, aut tradito. Propositio semper hæretica est, ubi dogmati fidei adversatur. Qui propositionem pronunciavit dogmati fidei repugnantem, tum demum hæreticus est, cum pronunciaverit sciens prudens, eam Ecclesiæ definitionibus adversari. Hæreticorum alii sunt manifesti, alii occulti, seu qui exterius quidem fidem profitentur, sed interiore animi affectione non consentiunt. Qui exterius fidei adversatur, extra Ecclesiam semetipsum dejicit: qui exterius fidem profitetur, mente non consentit, adhuc in Ecclesia est, quamquam pro membro Ecclesiæ mortuo sit habendus.

Hæreticis prope accedunt Schismatici, isti sunt, qui non fide, sed obedientia tenus, se ab Ecclesia dividunt, ideft profitentur, se Prælatis Ecclesiæ obtemperare ullo modo nolle. Prope, inquam, accedunt hæreticis; etenim hæresis etiam rei essent, si putarent, Ecclesiam dividi posse.

IV.

Atrox quoque flagitium illorum est, qui ad dœmones convertuntur, eorundemque opem petunt. Hujus generis sunt arioli, auspices, aruspices, magi, sortilegi, & alii hujus generis.

V.

Blasphæmi dicuntur, quotquot aut Deo, aut Christo, aut redemtionis nostræ mysteriis, veluti cruci, ac sacramentis, aut etiam Deiparæ, aut Beatis ceteris maledicunt, vel conviciantur. Si in maledicto, aut convicio quidquam pronuncietur, quod dogmati fidei adversetur, tunc blasphæmia dicitur hæreticalis.

VI.

Denique Divinam majestatem directo lædunt aut jurisjurandi, aut voti violatores. Jusjurandum est invocatio Divini nominis, quasi in testimonium veritatis illius rei, quam quisque adfirmet, aut neget. Divinum nomen

men invocari dicitur, non solum si expresse id fiat, & specialiter, sed etiam si fiat per invocationem Divinorum symbolorum, veluti si quis juret per cœlum, per crucem, per evangelia, & similia. Qui falsum jurat, perjurus dicitur, & perjurii crimen admittere. Cavendum in jurejurando est, nequis temere, idest sine gravi caussa juret. Jusjurandum duplex a Pragmaticis recensetur, assertorium, & promissorium. Assertorium versatur in re aut secuta, aut præsente. Promissorium est, cum quis jurat, se quidquam facturum, vel daturum. In assertorio statim perjurium incurritur, si falsum est, quod jurejurando firmatum fuit. In promissorio perjurium incurritur, aut statim, siquis jurat, sine animo implendi promissum, aut postea, siquis non impleat, quod spopondit. In promissorio specialiter cavendum est, ne id promittatur, quod bonis moribus, aut legibus repugnet: irrita enim sunt hujus generis juramenta eodem modo, quo irritæ sunt rerum turpium, aut damnatarum promissiones.

VII.

Votum est promissio facta Deo rei alicujus honestioris æque ac utilioris, ad quam ceteroqui præstandam nec lege, nec singulari præcepto quis obligatur. Reddenda esse

Altissimo

Altissimo vota nostra, ipsæ sacræ literæ clamant, & naturalis ratio abunde docet. Sunt vota quædam, quæ magis solennia in Ecclesia recensentur, quale est votum continentiæ, quod quis elicit aut occasione sacræ ordinationis, aut caussa monasticæ professionis. Hinc siquis hæc vota contemnat, atque abjiciat, dicitur apostasiæ crimen incurrere.

TITULUS IV.

DE CRIMINIBUS

Admissis contra res Deo sacras.

I.

QUÆ adversus res Deo sacras crimina admittuntur, ea ad quatuor veluti summa, ac præcipua capita referri possunt, videlicet ad sacrilegium, ad simoniam, ad spretum cultum Sanctorum, atque ad spretum cultum Sacramentorum, aut etiam sacramentalium.

II.

Legibus Quiritium sacrilegium dictum est furtum rerum sacrarum: a sacris rebus legendis, seu avertendis ethymologia nominis derivatur. Ergo proprie nisi quis res sacras furto subripuerit, sacrilegus non dicitur ratione

ne habita civilium pœnarum, quibus subjiciatur. Ceterum & in ipsis Romanorum legibus quandoque sacrilegii nomen improprie sumebatur, ad concitandum horrorem cujusdam criminis, veluti cum adulteri appellati sunt *sacrilegi nuptiarum*. Canonum cultores latius extenderunt sacrilegii nomen, ac tradiderunt, quamcumque sacræ rei violationem sacrilegium esse. Hinc triplex esse sacrilegii genus dixerunt, reale, locale, & personale; reale, cum res Deo sacra surriperetur; imo & hic addiderunt, sacrilegium esse, sive res sacra de loco sacro, sive res sacra de loco non sacro, sive res non sacra de loco sacro eriperetur; locale, cum injuria inferretur locis sacris, vel religiosis, ceu immunitatem sacrarum ædium, religiosorumve locorum violando; denique personale, cum personis Deo sacris, aut religiosis injuria inferretur, ceu clericum, monachumve cædendo, percutiendo, sanctimonialem corrumpendo, & similibus.

De sacrilegio personali extat famigeratus canon *siquis suadente* 29. cau. 17. qu. 4., ubi anathemate plectuntur, quicumque adversus clericos, vel monachos impias manus intulerint. Exinde clerici dicti sunt duplex privilegium habere. Siquidem cum jam privilegium fori episcopalis obtinuissent,

aliud

aliud privilegium habere visi sunt ex eo, quod sanctior haberi cœperit eorum persona, magis magisque ab injuriis communita. Hoc appellaverunt *privilegium canonis*.

III.

Simonia definitur studiosa voluntas emendi, vendendive res sacras, aut res religiosas, aut res sive sacris, sive religiosis cohærentes. A Simone Mago apostolica olim S. Petri censura damnato, quod Spiritum Sanctum, & dona S. Spiritus emere voluisset, nomen derivatum est. Triplex est caussa, cur simoniæ vitium turpissimum sit. Prima est, quod nonnisi impie res sacræ, aut religiosæ, hisve cohærentes, rebus temporalibus sive pretio pendantur. Secunda est, quod qui eas res vendit, putet se posse ita versari in rebus sacris aut religiosis, ac si profana quæque tractaret. Tertia est, quod qui venditurus est res sacras aut religiosas, putet, se dominum esse, quando simplex est curator, ac dispensator, qui ex mandato Dei accepit: *gratis accepistis, gratis date*.

Hinc liquet, simoniæ crimina non esse paria, sed alia aliis graviora. Sunt enim quædam, in quibus triplex simoniæ turpitudo modo commemorata deprehenditur; sunt, in quibus una vel altera turpitudinis caussa deest.

Quo

Quo plures ſunt turpitudinis cauſſæ, eo gravius crimen eſſe, facile conſtat.

Diſputant cultores canonum, an quædam ſint ſimoniæ ſpecies, quæ tantum jure poſitivo eccleſiaſtico improbentur. Niſi tale proponatur factum, quod purum ſit omnibus modo commemoratis turpitudinis cauſſis, certe illud omne factum, in quo vel una ex eiſdem cauſſis ineſſe videatur, crimen ſemper damnatum aut ex ipſa rei natura, aut certe Divinis legibus agnoſcetur.

IV.

Simonia alia mentalis eſt, alia realis. Mentalis locum habet, ubi ſpiritualibus rebus cohærent certa commoda temporalia, & quidem legitime; interea tamen qui ſpiritualia exercet, ideo exercet, ut temporalia commoda conſequatur: veluti ſi concionator ideo munus ſuum exequeretur, ut certa ſtipendia lucretur; ſi Sacerdos ideo miſſam celebret, ut eleemoſynam nanciſcatur, & ſimilia. Cum eleemoſyna certa ad vitæ ſuſtentationem ſacris adminiſtris jure concedatur, ſiquod vitium eſt in ſacro adminiſtro, eleemoſynam ipſam quaſi pretium officii recipiente illud mente concipitur, ac mentis ſecreto retinetur, ideoque extra pœnam in externo foro hoc vitium eſt. Simonia realis ea eſt, quæ

ſit

fit pactionibus rerum alias indebitarum, sive id fiat expresse, sive tacite, veluti cum sacrorum administer moratur de industria sacra ministeria, quousque quidquam a suscipiente recipiat; sive id fiat contracta fiducia, futurum, ut quandoque qui ministrat, certa commoda nanciscatur, veluti cum quis beneficium confert, fide recepta, ut beneficiarius post certum tempus alterius gratia beneficium resignet. Hanc appellant simoniam confidentialem.

V.

Ex parte rei, quæ venditur, aut emitur, nihil refert, an sint res sacræ, veluti Sacramenta, ac sacramentalia; an sit res religiosa, veluti monastica professio, aut sepultura; an sint res temporales cohærentes sacris, aut religiosis, veluti præbendæ in beneficiis, jura alimentorum in monasteriis. Simon ipse Magus a Petro damnatus non tam emere voluit Spiritum Sanctum, & Divina charismata, quam occasionem, qua inde certa temporalia commoda consequeretur; noverat enim, in Apostolos largas oblationes effundi piorum fidelium charitate occasione Divinorum.

VI.

Ex parte rei, quæ pretii locum tenet; nihil refert, an spiritualia spiritualibus pensentur;

ſentur; neque enim fieri poteſt rerum illarum mercatura. Hinc vel ipſa beneficiorum permutatio, quoties non exigatur ad unam Eccleſiarum utilitatem, & fiat temporalis commodi cauſſa, ſimoniaca eſt. Item nihil refert, an qui emit pecuniam donet, vel quidquid pretio æſtimabile, an obſequio ſibi deliniat, concilietque ſacrum adminiſtrum; an commendationibus potentum, vel amicorum ſibi comparet ſacra, ac religioſa, vel his cohærentia.

Hoc eſt, quod veteres Patres ajebant, triplicem eſſe ſimoniam, aliam a manu, ideſt ubi pecunia, aliam a lingua, ideſt ubi commendatio, aliam ab obſequio, ideſt ubi certum obſequium intercedit, atque his de cauſſis ſacra, religioſa, vel his cohærentia impetrantur.

VII.

Spretus cultus Sanctorum grave crimen eſt, quod ab eo admittitur, vel qui debitum Sanctis, Sanctorumve reliquiis, aut imaginibus denegat, vel qui Sanctorum invocationem inanem putat, aut prædicat.

VIII.

Spretus cultus Sacramentorum graviſſimum crimen eſt, quod in iis omnibus caſibus admittitur, in quibus in Sacramenta injuria infertur,

fertur, ut exempla proferam, qui iterum Sacramentum Baptifmi, vel Confirmationis, vel Ordinis fcientes prudentes conferunt, hæc Sacramenta contemnunt. Qui Euchariftiam non jejunus, non ftatis in locis, ac temporibus, aut conficit, aut miniftrat, aut recipit, de fpreto hujus Sacramenti cultu damnatur. Idipfum de ceteris Sacramentis dicendum eft. Similiter damnandus eft, qui fpernit facramentalia ab Ecclefia inftituta exemplo Sacramentorum.

TITULUS V.

DE CRIMINIBUS SINGULARIBUS CLERICORUM.

I.

SUÆ funt fingulares leges clericis propofitæ, certis etiam pœnis adjectis contra eos, qui non obtemperent. Quippe decuit clericalem vitam ita inftitui, ut a ceterorum rationibus fecernatur. Præcipua clericorum munera funt, curam habere facrorum, miniftrare Divinis, populum docere, atque ad Divina præparare. Ergo tales leges dicendæ clericis erant, quæ his exequendis muneribus magis congruerent.

II.

II.

Huc refertur primo lex residentiæ in Ecclesia, cui vi suæ ordinationis clerici adscripti sunt. Ubi certis de caussis clerici intersit abesse, veniam a Prælato suo impetrare ipse debet: nec aliter in alia Ecclesia recipiendus est, nisi a suo Episcopo commendetur. Has commendatitias epistolas, veteres appellaverunt epistolas *formatas*, ex eo forte, quod nonnisi certa forma, ac ritu eæ epistolæ exararentur.

III.

Dirigenda quoque fuerunt clericorum studia, ut scilicet clerici in ea præcipue studia incumberent, quæ rerum Divinarum, & ecclesiasticarum doctrinam parerent, non alienis studiis avocarentur. Inter cetera cautum est, ne clerici aut medicam, aut chirurgicam artem profiterentur.

IV.

Decuit eisdem de caussis, avocare clericos a ceteris operosis sæcularibus negotiis, quæ mentem a cura sacrorum avertunt. Hinc cautum, ne in judiciis sæcularibus versarentur, ne mercaturæ incumberent, ne curatores essent alieni patrimonii. Ne prætextus parandorum alimentorum allegarentur, satis fuit clericis

consultum aut collatione beneficiorum, aut patrimoniorum constitutione.

V.

Etiam in iis, quæ ad recreationem animi faciunt, certus præstitutus est modus. Cumque in Divinis agendis mysteriis certus præstitutus jam ab antiquissima ætate habitus indumentorum fuerit, tum deinde curaverunt Antistites, ut in civili vestitu certus decor servaretur; nimirum clerici universi non quidem sordide, sed modeste incederent, atque ita, uti virum decet prudentem, temperatum, ac sobrium, qui aliis esse exemplo potest. Hinc capillorum attonsio, hinc humilis vestium color, hinc earundem vestium figura ad modestiam composita.

Non potuerunt hæc singula definiri generali lege, & perpetuo duratura. Hinc multum in hac parte tribuitur prudenti Episcoporum arbitrio, qui moderari singula debent pro indole provinciarum, ac temporum qualitate. Cum omnia ad generales modestiæ regulas exigantur, tum satis erit Ecclesiæ canonibus factum.

TIT.

TITULUS VI.

DE CETERIS CRIMINIBUS UNICUIQUE COMMUNIBUS.

I.

NON omnia persequor hoc in loco crimina, quæ legibus publicis in civili societate damnantur, sed ea tantum, quæ singularem in jure ecclesiastico pœnam constitutam habuerunt. Antiquissimis canonibus, præsertim pœnitentialibus, adversus duo præcipue crimina animadvertebatur, in primis injustas, & turpes virorum, & fœminarum conjunctiones, deinde homicidia.

II.

Præprimis gravissimis pœnitentiis publice plectebantur adulteri, velut ii, qui gravem Sacramento conjugii injuriam intulerunt. Et quamquam jure Quiritium adulterium diceretur dumtaxat a nupta committi, Patres tamen Ecclesiæ parem vindictam sumendam de maritis voluerunt, gnari æque a maritis, ac ab uxoribus conjugii fidem adulterio violari; imo addiderunt, gravius esse crimen viri, quod vir exemplo præire uxori debeat. Stuprum etiam obnoxium fuit gravibus pœnitentiis, præsertim si admitteretur ab iis, qui voto continentiæ sese Deo obstrinxissent.

Abominabilis insuper habitus fuit, & publice damnatus incestus inter cognatos, & affines, quæcumque esset cognatio, sive naturalis, sive civilis, sive spiritualis. Si quandoque concubinatus extra pœnam in Ecclesia fuit, id referendum est ad ea tempora, quibus concubinatus nihil aliud erat, quam verum conjugium ad juris naturalis simplicitatem exactum, omissis juris positivi solennitatibus. Ubi concubinatus in abusum degeneravit, & sub concubinatus specie iniri cœperunt pudendæ conjunctiones, tum non sine pœna esse debere statutum est, quod & Patres Tridentini Concilii confirmaverunt.

Concubinatus apud veteres erat distinctus ab incestu, quod concubina nec affinis, nec cognata esse poterat ei, cui jungebatur. Distinctus erat a pellicatu, quod concubina non jungeretur illi, qui jam maritus alterius esset: distinctus erat ab adulterio, quod concubina alteri nupta non esset: denique distinctus erat a stupro, quod in concubinatu data esset fides perpetuæ, & individuæ consuetudinis. At enim quod concubinatus extra legis auxilium esset, multi eo abuti cœperunt. Hinc ejus conjunctionis & justa, & æqua damnatio.

III.

III.

Veteres pœnitentiales libri in eo consonant omnes, quod diuturna æque ac severa pœnitentia publica adversus homicidas indiceretur. Cum apud Romanos ludi erant instituti, quibus etiam cum vitæ periculo juventus exerceretur, colluctatione, pancratio, pugillatu, venationibus ferarum in circo, Antistites Ecclesiæ curaverunt apud Christianos Imperatores, ut iidem ludi penitus abolerentur. Cum deinde succedentibus sæculis usus invaluisset singularis certaminis, quod monomachiam, sive duellum appellaverunt, Ecclesia & censuris reos terruit, & pœnitentiis damnavit.

IV.

Postquam frequentiores ex universis diœcesibus exhiberi cœperunt Romano Pontifici preces, atque inde plura rescripta, privilegia, atque indulta obtineri, non defuerunt qui falsas Pontificias epistolas fingerent, easdemque sui commodi consequendi caussa proderent, vel simile falsi crimen admitterent. Id falsi crimen debuit gravibus pœnis coërceri, unde plura decreta prodierunt contra falsarum Pontificis Maximi epistolarum editores. Falsi crimen in hac re bifariam admitti dicitur; nimirum vel falsas literas cu-

dendo, vel veras quidem literas obtinendo, sed aut enarrata falsitate, aut reticita veritate, quando alias Pontifex Maximus, si veritatem novisset, non fuisset rescripturus. Ubi falsitas narrata fuerit, rescriptum obreptitium dicitur, ubi veritas reticita, subreptitium: utrumque sane nullius roboris, cum voluntate Pontificis sit destitutum.

Si jam olim contra editores falsarum epistolarum graves pœnæ constitutæ fuissent, aut certæ adhibitæ cautiones, quibus germana monumenta ab apocryphis secernerentur, nec impune impostores prodidissent tot falsa decretalium monumenta, quot prodita novimus, uti in priore parte traditum est, nec intueremur recentioribus sæculis adeo deturpatam fuisse ecclesiasticam disciplinam, quemadmodum deturpari potuit ex falsis monumentis, quæ ex errore minus accurata, minusve prudens, atque erudita ætas recepit.

V.

Adversus latrones publicos multi etiam antiqui pœnitentiales codices certas pœnas statuerunt. Sed nec fures occulti sine certa pœna fuerunt. Olim in monasteriis, & subinde in collegiis clericorum si furto subrepta res quædam esset, & persona furis ignoraretur, omnes de monasterio, vel collegio susce-

ptione

ptione sacræ Eucharistiæ se se purgabant, suamque innocentiam præsente Numine testabantur. Recentioribus sæculis etiam ob furtum in civitate, vel in oppido admissum, si persona furis ignoretur, nec modis judiciariis probari crimen, aut detegi reus possit, receptum est, ut monitoria publica edantur auctoritate Prælatorum. Hæc monitoria sunt edicta publica, quibus monetur quicumque furatus est, vel quicumque res furtivas detinet, ut res ipsas domino restituat; si non restituerit, sententiam excommunicationis incurrat. Sæpe etiam monentur quicumque aut furis notitiam habeant, aut conscii sint rerum furtivarum, ut quod noverint Ecclesiæ pandant, sub eadem excommunicationis pœna. Quando in his monitoriis, de excommunicatione agitur, certum est, eadem non esse edenda, nisi sobrie, & magna cum circumspectione.

VI.

Crimini furti, & rerum quocumque modo subreptarum proxime accedit crimen usuræ. Definitur usura *accessio sortis debitæ ex caussa temporis*. Ergo quicumque creditor exigit a suo debitore plusquam sorte continetur, idque ex sola temporis mora, is usurarius est. Nihil plane refert, de quonam debiti genere

agatur, five ex contractu, five ex alia caussa proficiscatur. Quod præcipue in discussione hujus criminis spectatur, est, utrum sola caussa temporis exigatur quidquam forte amplius: nam si aliæ caussæ subessent, & quidem justæ, sine usuræ vitio quidquam amplius præter sortem exigitur.

Aliæ caussæ, & quidem justæ recensentur, primo lucrum cessans, veluti cum quis caussa mutui dandi rem fructiferam vendat, & pretium rei fructiferæ mutuo donet, tunc enim petere a mutuatario poterit, fructuum, quos amittit, pensationem. Secundo damnum emergens, veluti cum quis mutuo tradit pecuniam, quam erat in fundum fructiferum impensurus. Tertio periculum pecuniæ, quod creditor in se suscipiat, quemadmodum contingit in pecunia trajectitia, seu nautico fœnore.

VII.

Quidquid in contrarium adlaboraverint recentiores non pauci, præsertim ex hæreticis, certum est, Sanctos Ecclesiæ Patres detestatos fuisse usuras, tanquam crimen valde reipublicæ perniciosum. Patrum sententiam & Conciliorum canones, & decreta Maximorum Pontificum confirmaverunt. Ipsi etiam Philosophi in usuris magnam reipublicæ perniciem

niciem agnoverunt. Ex his omnibus caussis etiam suis legibus Principes usurarium crimen certis pœnis persecuti sunt.

VIII.

Ingeniosa fuerunt avarorum hominum studia, quibus si non reipsa, saltem specie tenus viderentur usuram non admittere, certos contractus ineundo, certis etiam adjectis pactionibus, quibus aliquid amplius supra sortem exigerent prætextu aliarum caussarum, quando nonnisi caussam temporis haberent. Hæc usurarum pallia sæpe ac sæpius opportunum fuit expressa lege damnari. Sæculo Ecclesiæ decimoquinto magnæ concitatæ fuerunt disputationes de certa contractus specie, quam *censum* appellaverunt. Ita contrahi cœptum est, ut quis certa data pecuniæ quantitate emeret sibi annuam pensionem a debitore solvendam super fructibus alicujus prædii debitoris, donec debitor pecuniam restitueret. Postquam Martinus V., aliique subsequentes Pontifices decretis suis intercesserunt, tandem Pius V. anno 1564. famigerata sua constitutione contractum illum ab usuræ nota exemtum declaravit, dummodo certæ conditiones servarentur. Præcipuæ conditiones sunt, ut pecunia tempore contractus tota bona fide numeretur: ut nunquam liceat creditori

ditori pecuniam ab invito debitore repetere, liceat autem quocumque tempore debitori pecuniam luere creditori etiam invito: ut census imponatur super re immobili, & fructifera, qua pereunte omnis obligatio cesset. Contractus ita celebratus *census consignativus* hodie appellatur, ut distingnatur ab aliis censuum speciebus, quos passim invenire consuevit hominum novas contractuum formas quærentium industria.

TITULUS VII.

De modis, quibus rei criminum in Ecclesia coërcentur, & primum generatim.

I.

TRes generales modi sunt, quibus Ecclesia in reos criminum animadvertit, videlicet pœnitentia, censura, & pœna. In his exercendis Ecclesia non tam crimen considerat, quam rei adfectiones. In consideratione criminis, maxime expedit, ut levioribus remediis adversus leviora, gravioribus adversus graviora crimina prospiciatur. Cum considerantur reorum adfectiones, atrocius, & durius agitur adversus contumaces, eove etiam magis, si vix supersit pœnitentiæ, atque emendationis spes; lenius agitur cum iis,

iis, qui de admiſſo crimine dolent, & vitæ emendationem pollicentur.

Hinc Eccleſia dicitur eſſe loco piæ matris erga fideles quaſi filios, quorum curam ſuſcipit, ſollicita, ut bonis moribus ſint ornati; ſi deliquerint, ut emendentur, caſtigatione quadam reddantur attentiores in poſterum; ſi pugnaces extiterint, ut terreantur; ſi denique deſperata res ſit, ut abjiciantur, ne totus fidelium cœtus pravis exemplis facile corrumpatur.

Ordo iſte coërcendorum reorum eſt Eccleſiæ ſingularis: ſiquidem Eccleſia hoc proprium habet, ut non ſolum curam gerat univerſitatis, ſed etiam ſingulorum, quorum animas unaſquaſque dirigere debet ad Deum, cui in hac vita ſerviatur, & perpetuo poſt hanc vitam ex Dei clementia adhæreatur.

II.

Prior coërcendorum reorum gradus eſt pœnitentia, cui quis ſubjicitur, cum eandem devoto, demiſſoque animo ab Eccleſia petat. Equidem remittitur apud Deum quodcumque crimen, quotieſcumque vere, & ex animo peccator de crimine doleat, & veniam a Summo Numine imploret. Patet ad obtinendam peccatorum remiſſionem Sacramentum Pœnitentiæ a Chriſto inſtitutum, quod

per

per Ecclesiæ administros Sacerdotes dispensatur. Verum adhuc manent in animo peccatorum reliquiæ, ideſt pravæ affectiones, quibus quodammodo peccator ægrotat, quæ ſane nonniſi ſummo labore delentur; eamque ob rem Pœnitentia a Sanctis Patribus laborioſus Baptiſmus dicta eſt.

III.

Alter reorum coërcendorum modus eſt cenſura. Hic adhibetur ab Eccleſia in gravioribus delictis, ubi reus contumax ſit, non quidem ut reus puniatur, ſed ut terreatur, & metu pœnarum eo adducatur, quo veniam ſupplex, & demiſſo animo ab Eccleſia imploret. Ergo ubi contumacia eſt, & quouſque contumacia perſeverat, ſententia Eccleſiæ, qua reus terretur, cenſura eſt. Si reus inde concutiatur, cenſuram Eccleſia revocat, & confugientem reum pœnitentia expiat, & opportuno tempore ad reconciliationem admittit. Etiamſi reus devoto animo ad Eccleſiam confugiens a cenſura necdum fuerit abſolutus certis de cauſſis, quia ſcilicet Eccleſia velit magis magiſque explorare demiſſionem, & ceteras adfectiones rei; tunc cenſura quodammodo deſinit eſſe cenſura, & vim quandam habere incipit pœnitentiæ indictæ, adeo ut cum reus deinde a cenſura abſol-

absolvitur, tum illius initæ pœnitentiæ ratio habeatur.

IV.

Postremus reorum coërcendorum modus est pœna. Hic adhibetur ab Ecclesia in criminibus, quotiescumque reus adeo pugnax est in crimine, ut quamcumque emendationis spem Ecclesia, quoad per homines conjicere licet, abjecerit. Finis ergo pœnæ indicendæ non est rei emendatio, ac correctio, uti contingit in pœnitentia, ac censura; sed est cura totius universitatis fidelium, qui magis avertuntur a similibus perpetrandis criminibus formidine pœnarum, quibus etiam prospicitur ejectione rei criminis, ne contagione corrumpantur.

V.

Memorati tres coërcendorum criminum modi certum ordinem habent. Scilicet ita tribui ex prudentia debent, ut nunquam ad secundum, idest ad censuras procedatur, nisi quo casu primo modo non sit locus, nunquam procedatur ad tertium, idest ad pœnas, nisi quo casu aut primo, aut secundo modo prospici nequeat. Quid enim, si reus statim pœnitens ad Ecclesiam accedat, crimen fateatur, veniam imploret, & satisfacere sponte velit? Tum supervacanea est censu-

rarum indictio. Juvat insuper supersedere a pœnis, quod totidem bonis exemplis fidelium societas ex pœnitentis operibus instrui possit, quot dudum detrimenta passa fuerat. Quid si spes bona affulgeat emendatum iri criminum reos, si solæ censuræ inferantur, & a pœnis abstineatur? Nonne tunc juvat pœnas suspendere, & solis censuris reum concutere ad bonum ipsius rei, imo & ad majorem Ecclesiæ utilitatem?

Sunt istæ, ceu regulæ generales, a quibus tamen veluti probata quadam exceptione receditur duobus in casibus. Primus casus est, cum de certis criminibus agatur vere atrocissimis, in quibus expedire videatur, ut nulla ejus ordinis ratio servetur, & statim deveniatur aut ad censuras, aut ad pœnas. Nihilominus tamen in hac specie si reus pœnitentia motus statim veniam imploret, facilem adhuc se Ecclesia præbet pro pœnitentis affectionibus. Alter casus est, cum pœna non tam infertur ad coërcitionem rei, quam ad consulendum decori sacrorum; tum enim quæcumque sint rei adfectiones, statim ad pœnam devenitur. Ut exemplum proferam: pœna homicidii est, qua clericus homicida a sacrorum ministerio arceatur. Hac pœna non solum eo tenditur, ut reus damnetur,

tur, ſed etiam eo, ut honor habeatur ſacris, quorum adminiſtri debent eſſe impolluti. Hac in ſpecie quæcumque ſit rei pœnitentia, nihilominus pœna irregularitatis locum habet.

VI.

Cum remittitur pœnitentia, hæc remiſſio dicitur indulgentia, relaxatio, abſolutio; cum remittitur cenſura, hæc remiſſio æque dicitur relaxatio, aut abſolutio; cum verò remittitur pœna, proprie dicitur diſpenſatio, ſeu reſtitutio.

Quandoque etiam rei a pœna abſolvuntur, ſeu pœna reis indicta relaxatur ſine diſpenſatione, ea nimirum in ſpecie, quà pœna continet in ſe etiam cenſuram, & cenſuræ effectus. Id contingit in pœna anathematis. Anathema etiam in ſe continet excommunicationem, & effectus excommunicationis, quæ cenſura eſt. Ubi reus anathematizatus ſupplex ad Eccleſiam accedit, adhuc videtur excommunicationis cenſura ligari, ideoque rite ab excommunicatione abſolvitur.

VII.

Rei criminum proprie dicuntur pœnitentiis expiari, cenſuris coërceri, pœnis puniri. Siquidem pœnitentiarum finis expiatio eſt admiſſi criminis, finis cenſurarum eſt concuſſio rei, & coërcitio, ne in deteriora ruat, finis pœnarum eſt rei damnatio.

TIT.

TITULUS VIII.

DE POENITENTIIS

Quibus rei criminum expiantur.

I.

AMplius heic non loquor de Sacramento Pœnitentiæ, aut de ſatisfactione pœnitentis, quam exhibere debet occaſione Sacramenti. De his actum ſuperius fuit in libro 4. tit. 5. Loquor de pœnitentiarum indictione, quæ publice fit in foro externo ad expiationem reorum, qui ob crimina publice admiſſa & Deo, & Eccleſiæ ſatisfacere debent. Hujus generis pœnitentiæ vel communes ſunt, vel ſingulares. Communes ſunt, quæ ab omnibus ex lege Eccleſiæ ſuſcipiuntur ob peccata populi, qualia ſunt jejunia, aut ſupplicationes, aut cetera pietatis opera, certis ſtatis anni diebus, ceu quadrageſimæ, adventus, aliiſque. Singulares ſunt, quæ ex præcepto Prælati indicuntur ſingularibus perſonis ob ſingularia admiſſa crimina. De his ſingularibus pœnitentiis hoc in titulo agitur.

II.

Pœnitentia publica nonniſi ob crimen publicum indicitur. Non indicitur autem niſi volenti, conſentienti, & demiſſo animo poſtulanti;

lanti; quamquam reus eam velle, in eam consentire, & eam demisso animo petere debeat, si velit Ecclesiæ reconciliari; quoniam satisfactio in genere suo Divinis legibus præscripta est, in specie autem ab Ecclesia pro criminum qualitate mandatur. Qui pœnitentiæ sese non subjicit, impiorum numero habetur, & potest censuris terreri, ut pœnitentiam postulet, imo etiam pœnis, si gravior sit pertinacia.

III.

Etsi unicuique liberum sit sese sponte subjicere pœnitentiæ publicæ; a nemine tamen pœnitentia publica indici potest, nisi ab eo, qui jurisdictionem ecclesiasticam habeat in foro externo; quamquam qui pœnitentiam exequitur, etiam in foro interno satisfaciat, cum animum peccatorum reliquiis expiet.

IV.

Olim erant certæ pœnitentium stationes, per quas veluti per gradus ad reconciliationem deveniebatur, scilicet lugentium, sive flentium, inde audientium, post hoc substratorum, denique consistentium. De his jam egi in lib. 4. tit. 5. num. 11. Erant etiam editi quidam codices pœnitentiales, qui pro qualitate criminum definiebant numerum annorum, quibus esset in eisdem stationibus

confiſtendum. Hodie ratio, quantitas, & qualitas publicæ pœnitentiæ tota pendet ex arbitrio Prælati.

V.

Pœnitentium publicorum reconciliatio etiam ſpectat, & ſemper ſpectavit ad eos, qui juriſdictione in foro externo gaudent. Hæc reconciliatio olim fiebat per manus impoſitionem. Hodie ſatis eſt pœnitentiam impoſitam impleviſſe, ut quiſque reconciliatus intelligatur. Species reconciliationis olim erat indulgentiarum conceſſio. Indulgentiæ erant diſpenſationes quædam pœnitentiæ publicæ, quibus nimirum pœnitentibus applicabantur per eccleſiaſticam poteſtatem merita Chriſti, & Sanctorum; atque hac applicatione ita habebantur pœnitentes, ac ſi facto proprio ſatiſfeciſſent. Hæc ſatisfactio in foro etiam interno proderat, quoties pœnitentes ea præditi eſſent affectione, ut perfectæ charitatis vinculo, quoad fieri per eos poſſet, Deo jungerentur. Hodie hæc indulgentiarum conferendarum poteſtas etiam exercetur, licet publicarum pœnitentiarum rationes, ac pœnitentium ſtationes fere exoleverint. Indulgentiæ adhuc conferuntur ab iis, qui juriſdictione in foro externo pollent: proſunt etiam in foro interno gratia illorum, qui, quoad valent, curant,

ut

ut peccatorum reliquias auferant: eamque ob rem ut plurimum dum indulgentiæ conceduntur, certorum piorum operum executio mandatur. Indulgentiarum aliæ plenariæ sunt, aliæ ad tempus: plenariis tota pœnitentia remittitur, ceteris nonnisi pars quædam. Plenariarum indulgentiarum concessio hodie Pontifici Maximo reservatur. Species indulgentiæ plenariæ est jubilæum, quod singulis vigintiquinque annis a Pontifice Maximo concedi solet. Episcopis relictum est, ut quadraginta dierum indulgentias ordinario jure concedant; certis tamen temporibus datum est, ut etiam plenarias impertiantur.

Hodie cum dicitur concedi indulgentias quadraginta, vel centum dierum, item septem annorum, & similes, intelligimus quoddam adhuc servari vestigium veteris disciplinæ, juxta quam certa erant definita tempora pro delictorum qualitate, intra quæ pœnitentes publici stationes suas absolvere debebant. Ergo hodie qui quadraginta, vel centum dierum, qui septem annorum indulgentiam obtinent, habentur ac si per quadraginta, vel centum dies, aut per septem annos pœnitentiam publicam juxta veterem Ecclesiæ disciplinam exegissent.

TITULUS IX.

DE CENSURIS,

Quibus rei criminum coërcentur.

I.

ERANT in Romana republica instituta censorum officia, eademque distincta ab officiis magistratuum. Quippe magistratus merum imperium exercebant in reos criminum legibus damnatorum: si quidquam contra bonos mores agebatur apud cives, quod esset extra pœnam legum, alias autem id emendari, corrigive oporteret, hoc negotium censoribus commendabatur. Inde factum est, ut cum in Ecclesia crimen aliquod certæ pœnæ non subjaceret, sed emendatione indigeret, modus emendandi appellaretur censura, cujus nomine intelligimus Ecclesiæ sententiam contra reum criminis latam, qua reo eidem interea omnium, vel quorundam christianæ communionis jurium exercitione, vel usu interdicitur, ut terreatur, ac concitetur, spe concepta futurum, ut resipiscat, veniam postulet, & delictum emendet.

II.

Cum dixi, censuram esse sententiam Ecclesiæ, indicare volui, nihil referre, an censura

ſura feratur ab Eccleſia generali lege, an a Prælato ſingulari præcepto, an abs judice cauſſa cognita. Cum generalis lex cenſuram indicit, tunc cenſura dicitur abs jure lata; cum cenſura indicitur præcepto Prælati, vel judicis ſententia, tunc cenſura dicitur lata ab homine. Lege, vel præcepto indicitur cenſura etiam ante crimen admiſſum, quam is incurrat, cum crimen admiſerit: ſententia judicis nunquam cenſura indicitur, niſi crimen admiſſum ſit, & contradicto judicio comprobatum.

Duplici modo cenſura indicitur, lege, vel præcepto; primum ut ſtatim, & ipſo jure incurratur ab eo, qui legi, vel præcepto non paret; deinde ut non ſtatim ex delicto incurratur, ſed mandetur judici, ut ſecuto delicto cenſuram dicat adverſus reum. In priore ſpecie cenſura dicitur latæ ſententiæ, in poſteriore ſpecie dicitur ferendæ ſententiæ.

III.

Contra reum criminis cenſura fertur: ergo qui nullum crimen admiſit, nec doli capax eſt, non poteſt ulla cenſura notari. Porro crimen debet eſſe grave, & cenſuræ qualitati reſpondens; item debet eſſe manifeſtum; ſiquidem contra crimina occulta eccleſiaſtica fori externi poteſtas non progreditur.

IV.

Effectus censuræ demonstravi, quando asserui, ex censura reo interea interdici vel omnium, vel quorundam christianæ communionis jurium exercitione. Hinc deducitur, primo, censuram in re spirituali versari, qualis est christiana communio. Secundo, censuram duplicis generis esse, unam totalem, quæ omnibus privat christianæ communionis juribus, alteram partialem, quæ tantum privat parte eorundem jurium; tertio jure optimo apud veteres censuras omnes appellatas fuisse nomine excommunicationis; quid enim aliud hoc nomen significat, quam denegatam communionem?

Equidem inde factum est, veteres plures canones obscuritatem quandam induxisse; cum enim nomine excommunicationis censuræ omnes venirent; alias autem variæ essent censurarum species; nonnisi magno labore hodie dijudicari potest, quæ & qualis excommunicationis species certis priscis canonibus dicta fuerit. Hoc judicium fieri a viris eruditis potest in conspectu contextus eorundem canonum, ex quo intelligi adhuc potest, qualis fuisset veterum Antistitum sententia. Aucta etiam fuit difficultas ex eo, quod non semel excommunicationis nomen usur-

usurpatum fuerit ad significandam ejectionem delinquentium in stationes, & gradus pœnitentium; quia isti demisse patiebantur, se certa communionis christianæ specie privari: sed iterum heic studiis suis intercedere possunt viri eruditi, ut germanam canonum interpretationem consequantur.

Igitur tot sunt censurarum partialium species, quot sunt species christianæ communionis. Communio vel clerica est, vel laica. Communionis clericæ species tot sunt, quot gradus clericorum: communionis laicæ species tot sunt, quot laicorum stationes. Inde fit, ut censura notetur Episcopus, cum communione episcopali, Presbyter, cum presbyterali, Diaconus, cum diaconali, ceteri clerici, cum communione suo ordini competente interdicantur. Sic etiam laici censura notantur, cum statione sua interdicuntur.

In eo etiam censuræ effectus designatur, cum dicitur *interea interdici*; neque enim censuræ effectus perpetuus est, sed tamdiu durat, quamdiu censura notatus contumax, pertinaxque moratur. Spes conversionis caussam censuris omnibus præbet. Item designatur singularis censuræ effectus, cum dicitur interdici *exercitione* jurium christianæ communionis; neque enim censura notatus ipso

christianæ communionis jure privatur, sed tantum prohibetur, ne jus communionis exerceat, exemplo illius, qui relegatione, seu exilio in civili republica plectatur: quippe hic jura civitatis non amittit; facto tamen habetur, ac si civis non esset, suspensis omnibus civium officiis.

V.

Recentior ætas majoris perspicuitatis caussa tres censurarum species distinxit, videlicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Excommunicationem specialiter dixerunt, qua quis interdicitur, ne christianæ generalis communionis jura exerceat. Si in totum quis christianæ communionis juribus interdicatur, majorem excommunicationem appellaverunt. Si tantum quis interdicatur a Sacramentorum participatione, & ne eligi ad beneficia possit, appellaverunt excommunicationem minorem. Suspensio clericorum propria est, nimirum ex ea clerici interdicuntur ab iis, quæ clericam communionem constituunt. Et quando communio clerica tribus constat, ordinis ministerio, officio, & beneficio, suspensio partialis esse potest, si uno, aut altero ex iis tribus interea clericum arceat. Si ab omnibus clericum amoveat, suspensio totalis est. Interdictum

ctum dicitur censura, qua dispensatio Sacramentorum, celebratio publica Divinorum officiorum, & usus sepulturæ ecclesiasticæ interdicuntur. Hæc censura quandoque personalis est, quæ in certas tantum personas, quandoque localis, quæ ratione certorum locorum; quandoque mixta, quæ ratione certarum personarum, & certorum locorum indicitur. Item modo generalis est, omnes personas complectens de civitate, vel de provincia, aut omnes Ecclesias de civitate, vel provincia; modo particularis in certas personas, vel in certa tantum loca sacra concepta.

In interdicto multæ olim controversiæ concitatæ fuerunt, ut inquireretur, quænam sacra fieri possent, & quæ Sacramenta administrari; præsertim ubi in certa loca interdictum conceptum esset. Has controversias decreto suo definivit Bonifacius VIII. in cap. *alma Mater* de sent. excom. in 6., neque enim rebus omnibus sacris, officiisque interdicitur hujus censuræ indictione.

VI.

Finis censurarum est concussio rei, & concitatio, ut territus aversione jurium christianæ communionis tandem resipiscat, veniam postulet, ac delictum emendet. Si reus minime

nime terreatur, & pervicax in censura consistat, tunc Ecclesia ad ulteriora progreditur, videlicet post minorem censuram, infligit majorem: si nec major sufficiat, tunc ad pœnas progreditur.

Qui per annum in excommunicatione majore contumax perseverat, nec veniam postulat, is dicitur in excommunicatione insordescens, atque ex canonum sententia hæreticis æquiparatur.

VII.

Cum censura notatus veniam ab Ecclesia postulat, tum absolvitur a censura, impositis certis pœnitentiis, quandoque etiam certis satisfaciendi oneribus, cum de illata injuria agitur, nisi ante absolutionem & pœnitentiam egerit, & satisfecerit. Sæpe absolutio conceditur, sub conditione, ut ajunt, reincidentiæ; quod contingit, si onus satisfaciendi imponatur tempore absolutionis; tunc enim ita reus absolvitur, ut iterum incidat in censuram, si onus impositum non impleverit.

VIII.

Absolutio in foro externo concessa, etiam afficit forum internum, eodem modo, quo ipsa censuræ indictio. Non e converso absolutio tantum in foro interno concessa etiam ad forum

rum externum prorogatur. In foro interno a censuris absolvunt quicumque possunt a peccatis absolvere, nisi absolutio sit reservata: in foro externo absolvunt, qui jurisdictioni in foro externo præsunt; qua etiam in specie notandum est, censurarum quarundam absolutiones Prælatis superioribus reservari.

Hinc alia censurarum partitio designatur, quarum quædam reservatæ sunt, quædam non reservatæ. Ex reservatis quædam sunt reservatæ Episcopis, quædam Patriarchis, quædam Pontifici Maximo.

Ubi mortis periculum urget, omnis cessat reservatio, & quicumque Sacerdos a censura absolvit, imposito tamen onere absolutis, ut cum periculum evaserint, tum se sistant penes eum, cui est absolutio reservata.

IX.

Quandoque fiunt absolutiones ad cautelam, quando scilicet disceptatur, an censura juste lata fuerit. Finge quemquam judicio Episcopi fuisse excommunicatum, & a sententia Episcopi Metropolitanum appellavisse: hac in specie Metropolitanus appellantem ad cautelam absolvet, conditione recepta, ut veniam inde ab Episcopo petat, cum adpareat, justam fuisse Episcopi sententiam.

Ideo

Ideo abſolutione in hac ſpecie opus eſt, quia ſententia cenſuræ lata minime ſuſpenditur appellatione: ſiquidem in cenſuris ſententia ipſa ſtatim executionem habet, imo executio a ſententia minime diſtinguitur.

X.

Quicumque in certa diœceſi cenſura notatus eſt, eadem cenſura notatus eſt reſpectu Eccleſiæ univerſæ. Oritur id ex ipſa cenſurarum indole, quia in iſtis verſatur ratio chriſtianæ denegatæ communionis: chriſtiana autem communio individua eſt in tota Eccleſia, ubique eadem, ubique una, eodem jure, quo ubique eadem, ubique una eſt Eccleſia univerſa.

XI.

Ex eodem conſtantiſſimo principio profluit, neminem poſſe cenſura notari, niſi qui gaudeat jure communionis chriſtianæ, nec poſſe quemquam certa cenſuræ ſpecie coërceri, niſi ea communionis chriſtianæ ſpecie potiatur, quæ cenſuræ illius qualitati reſpondet. Ergo Judæi, ac Pagani cenſura notari non poſſunt. Ergo laici homines ſuſpenſionis cenſuræ minime ſubjiciuntur. Univerſitates, collegia, corpora iis cenſurarum generibus ſubjacent, quibus privari eadem poſſunt certo jure ſibi competente, ceu jure eligendi, & ſimilibus.

TITULUS X.

DE PŒNIS,

Quibus rei criminum puniuntur.

I.

SUPREMUS coërcendorum reorum gradus est pœna: hæc etiam in invitos profertur: tum demum autem dicitur, cum nec pœnitentiis sese rei subjiciunt, nec censuræ terror satis reos concutit, nisi de iis pœnis agatur, quarum indictione non tam fit, ut rei damnentur, quam fit, ut Divinarum, sacrarumque rerum decori prospiciatur, quemadmodum superius observandum fuit titulo 7. num. 5.

II.

Hinc liquet, quid dicendum sit de certis pœnarum generibus, quas apud veteres in more fuisse constat. Sæpe in scholis clericorum, atque in Ecclesiis pueruli rei delictorum flagellis ex sententia Episcopi coërcebantur. Hæc plane erat pœnitentiæ potius cujusdam species: ad summum non egrediebatur fines aut familiaris parentum in liberos, aut scholasticæ præceptorum in adolescentes disciplinæ. Idipsum dicendum est de simili pœna, quam in monachos ferebant Abbates

bates in cœnobiis. Idipſum dicendum eſt de altera pœnæ ſpecie, qua cuipiam reo criminis indicebatur, ut ad certa loca ſacra, ſeu ad inſignes baſilicas, aut majores Eccleſias ſeſe conferret, & piam peregrinationem ſuſciperet. Quibuſdam in canonibus exilium dicebatur; ceterum erat certus pœnitentiæ modus. Præterea in monaſteriis, & in ædibus epiſcopalibus ad cathedrales Eccleſias erectis, erant quædam loca, quæ modo *diaconica*, modo *cathecumata* apud veteres dicebantur, ſecreta a ceterorum qua monachorum, qua canonicorum ſtationibus, in quæ rei criminum velut a ceterorum conſortio ſegregati amandabantur ad certum tempus. Et quidem id non excedebat pœnitentiæ fines. Certum eſt ſuccedentibus ſæculis inde originem habuiſſe carceres epiſcopales, quibus uſi Epiſcopi ſunt, cum ampliorem juriſdictionem explicaverunt, modo ad cuſtodiam, modo ad pœnam reorum. Denique ſæpe contigit media Eccleſiæ ætate, ut rei quorundam graviorum criminum ad monaſteria mitterentur, in quibus aut ad certum tempus, aut perpetuo vitam agerent inter varias pœnitentium exercitationes. In quibuſdam canonibus hæc appellabatur improprie deportatio: ceterum fines veræ pœni-
tentiæ

tentiæ non excedebat. Huic simile erat, quod dicebatur de monachis, vel sanctimonialibus criminum reis, cum de uno monasterio in aliud monasterium asperioris regulæ caussa agendæ pœnitentiæ etiam perpetuæ transferrentur.

III.

Quæ proprie pœnæ & semper in Ecclesia fuerunt, & hodie manent, ad has reducuntur. Videlicet anathema, depositio, irregularitates veram & germanam habent pœnarum indolem in Ecclesia. Anathema commune est omnibus, depositio est propria clericorum, irregularitas & clericis æque, & laicis universis indicitur.

Cum Ecclesia has pœnas indixerit; nihilominus tamen reus criminis pertinax est, & Ecclesiam turbat, nihil aliud Ecclesiæ superest, quam ut Principum, & publicorum magistratuum potestatem roget, ut reus puniatur, quemadmodum ait Summus Pontifex in cap. 10. de judiciis.

IV.

Anathema est pœna præ omnibus atrocissima, & in Ecclesia summa. Eam ob rem appellatur excommunicatio mortalis, ut distinguatur a censura excommunicationis, quæ medicinalis appellatur. Anathema excommunicatio

nicatio est ad interitum; censura excommunicationis est excommunicatio ad emendationem, atque ad salutem. Tum ergo ad anathema devenitur, cum omnia vincula dissolvuntur, cum reus adeo pervicax est, ut nulla spes esse emendationis videatur. Indicitur anathema in hæreticos universos, & in eos, qui claves Ecclesiæ omnino contemnunt, & sunt in excommunicationis censura pervicaces, quales dicuntur qui per annum in ea censura sine mœrore constiterunt, ac propterea dicuntur insordescentes in excommunicatione. Itaque anathema est separatio rei alicujus gravissimi criminis a corpore Ecclesiæ. Dico separationem; neque enim tantum ab exercitione jurium christianæ communionis reus suspenditur, sed omnino eisdem juribus universis privatur, non secus ac qui in jure civili deportationis sententiam ferebat, dicebatur jura omnia civitatis prorsus amisisse.

Hanc ob rem anathematizati, si deinde ad Ecclesiam demisso animo revertantur, recipiuntur quidem, & reconciliantur Ecclesiæ absolutione criminum, & censurarum, quæ anathemati insunt; verum ut quædam jura semel amissa recuperent, non absolutio sufficit, sed dispensatione, & restitutione opus habent. Sic qui juspatronatus habebat, si

post

post anathema ad Ecclesiam convertatur, non sola absolutione censurarum, & criminum juspatronatus semel amissum recuperat. Si iterum juspatronatus obtinere velit, restitutione indiget, & nova concessione. Idipsum dicas de clerico anathematizato, & deinde converso, si beneficium ecclesiasticum habuisset.

V.

Depositio est pœna, quæ adversus clericos, cujuscumque gradus sint, graviorum criminum reos indicitur. Definitur ejectio de ecclesiastico gradu; atque ob hanc rem etiam degradatio appellatur. Ita differt depositio a suspensionis censura, quemadmodum differt anathema a censura excommunicationis. Videlicet clericus depositus omnino privatur juribus suo gradui, & ordini competentibus; suspensus autem tantum privatur exercitione eorundem jurium, & usu, donec a censura absolvatur. Ceterum suspensionis exemplo etiam depositio vel gravior, vel levior est. Siquidem depositio modo totalis est, qua clericus omnino cadit a clero, & in stationem laicorum redigitur, amittit officia quæcumque, præcipue sacri ordinis, item beneficia, quæ possidebat: modo partialis est, quando clericus deponitur a majore tantum

ordine ita, ut in minorem clericorum ordinem transferatur, veluti si Episcopus inter presbyteros, vel diaconos dejiciatur; aut quando clericus deponitur ab ordine, & ministerio, retento tamen beneficio ecclesiastico, quod possidebat. Depositio majorum clericorum olim in Conciliis fiebat, præsertim provincialibus. Recentioribus sæculis depositio Episcoporum reservata est Pontifici Maximo. Ubi de ceteris clericis agatur, certæ solennitates præstitutæ sunt, quibus tandem forma præbita est in Tridentino Concilio. Depositionis caussæ quædam sunt canonibus expresse definitæ, quædam arbitrio judicis relinquuntur. Nulla tamen est depositio, quam quisque incurrat juris potestate, semper a facto hominis pendet.

VI.

Duæ jamdiu agnoscuntur depositionis species: aliam depositionem verbalem vocant, aliam formalem, sive solennem, & hæc proprie degradatio in specie dicitur. Verbalis depositio tantum fit pronunciatione sententiæ. In depositione formali plures intercedunt solennitates in Pontificali præscriptæ. Harum summa est, ut Pontificali auctoritate exuatur publice reus insignibus suo ordini competentibus ita, ut post hæc reus tradatur sæculari curiæ puniendus.

VII.

VII.

Depoſitione ſecuta, ſi verbalis ſit, raro depoſitus reſtituitur; ſi formalis, nunquam; niſi quo caſu adpareat, quemquam injuſte fuiſſe damnatum: tum vero acta reſcinduntur, & ademta ordinis inſignia publice, & ſolenniter reſtituuntur, juxta formam in Pontificali præſtitutam.

VIII.

Denique pœnis eccleſiaſticis adcenſetur irregularitas, cujus nomine intelligitur ſententia canonum, qua quis arcetur a miniſterio ſuſcepti ordinis, & ſi necdum ordinem ſuſceperit, ab ordine ſuſcipiendo removetur. Non ſane, quod hæc ſententia canonum eo ſemper tendat, ut reum alicujus criminis puniat, ſed quod etiam hac ratione reos certorum criminum plectat. Scilicet quædam, & numero plurimæ ſpecies ſunt, in quibus quis aut arcetur a ſuſcipiendis ordinibus, aut ne in ſuſceptis miniſtret, prohibetur, eam ob cauſſam, quod decori ſacrorum miniſteriorum proſpiciendum ſit. Hinc furioſus, mutus, ſurdus, ac cœcus non ordinatur, & ſi ordinatus fuerit, a miniſterio abſtrahitur, non ob crimen, ſed propterea quod deceat, ſancta ab hoc perſonarum genere non tractari.

Hac ratione suspensio, utut inter censuras connumeretur, proptereaque reis criminum coërcendis indicatur, quandoque tamen indicitur sine criminis caussa, & ideo, ut consulatur decori rerum sacrarum, ceu cum suspenditur ab officio, qui laborat temporali infirmitate, qua sacra officia decore peragere nequeat: quo casu suspensio non est vere censura.

IX.

Irregularitatis nomen non est valde antiquum: antiqua tamen est juris sententia, qua certæ personæ aut ab ordinis suscepti ministerio, aut ab ordine suscipiendo arcebantur. Veteres ad hanc notam exprimendam variis formulis utebantur, ex. gr. declarantes, quemquam repelli a ministerio, aut ad ministerium non admitti. Duo potissimum ad naturam irregularitatis intelligendam sunt observanda. Primum est, irregularitatem ex juris scripti sententia imminere, nec opus esse judicis facto, ut quis irregularis fiat: hinc irregularitas distinguitur a depositione, qua in parte irregularitas arcet ordinatos ab ordinis ministerio, siquidem depositio non fit, nisi judicis facto. Alterum est, irregularitatem oriri ex iis caussis, quæ obicem ordini ponunt, non uti Sacramentum

est,

est, sed uti ordo est, videlicet uti ordo postulat nonnisi dignos, & undecumque idoneos admitti; hinc irregularitas distinguitur a ceteris animi notis, ob quas quis debet a Sacramentis ceteris aut abstinere, aut removeri.

X.

Ergo irregularitas abs jure indicitur aut caussa criminis, tum vero pœna proprie est, aut caussa certi defectus, quo quis minus idoneus ad sacra ministeria existimatur, tum vero dicitur impedimentum. Quacumque de caussa inferatur, nonnisi aut cessante defectu, quod temporale sit, aut dispensatione aboletur. Dispensatio tum locum habere potest, cum dispensatione secuta adhuc decore ac digne sacra dispensari ministeria possint. Dispensandi potestas ordinario jure penes Episcopos est. At multi sunt casus, in quibus reservationes Pontificiæ intercesserunt. Hos late Pragmatici enumerant.

XI.

Cum ex crimine, seu criminis caussa irregularitas infertur, certa regula est, nullum crimen irregularitati caussam præbere, nisi contra quod hæc pœna speciali jure indicta fuerit. Hujusmodi sunt crimen hæresis, vel apostasiæ, iteratio Sacramenti Baptismatis, simonia, violatio censuræ, homicidium vo-

luntarium, & quomodocumque culpabile, quod etiam ad mutilationem voluntariam, & culpabilem extenditur.

Homicidium culpabile dicitur, etiam quod casu sequitur, si casum culpa præcesserit, veluti siquis hominem casu occiderit eorum armorum genere, quorum usus lege prohibeatur.

An qui abortum procuraverit, habeatur in hac parte, ac si homicida esset, est in scholarum disputatione.

XII.

Cum defectum irregularitati caussam præbere dicimus, non de ea specie agitur, qua arceatur quis a sacris ordinibus ex eo, quod natura incapax sit, aut ex eo, quod sacra ordinatio facta ex Divina institutione prorsus in irritum caderet.

Ob priorem caussam fœminæ dici nequeunt irregulares, quia natura incapaces Sacramenti Ordinis; ob posteriorem caussam neque irregulares sunt, qui necdum Baptismum susceperunt, quia Divino jure irrita prorsus est ordinatio illius, qui Baptismum necdum suscepit.

XIII.

Potius irregularitati caussam præbent defectus, qui utut naturâ contingunt, attamen

aut

aut temporales ſunt, aut inopinato accidunt, aut ex accidenti. Hujus generis ſunt defectus ætatis, judicii infirmitas, vitium corporis ſingulare, & ſimilia. Qua in ſpecie regula eſt generalis, eos omnes irregulares dici, qui tali vel animi, vel corporis vitio laborant, quo nequeant miniſteria ordinis exequi; etiamſi in jure nulla ſit ſpecialis ſanctio, qua dicantur irregulares.

Defectus iſtius generis ſunt, in quibus irregularitas ſtatim ceſſat defectu ceſſante; in quibus, ſi defectus manet, nulla datur diſpenſatio; ſi defectus ceſſat, nec diſpenſatio petitur.

XIV.

Alii denique defectus ſunt, qui nec naturæ vitio, nec fato cuidam emergenti tribuuntur, ſed tales habentur ex juris diſpoſitione. In his regula eſt nullum eſſe defectum, qui det cauſſam irregularitati, niſi qui in jure ſpecialiter exprimatur. Hujus generis ſunt defectus natalium, defectus famæ, defectus libertatis, defectus Sacramenti, & defectus lenitatis.

Defectum natalium habere dicuntur, qui ſunt nati aut extra matrimonii cauſſam, aut ex nuptiis injuſtis, & illegitimi ſunt.

Defe-

Defectum famæ habere dicuntur, quicumque infamia laborant seu juris, seu facti.

Defectum libertatis habere dicuntur servi, item ratiociniis adhuc reddendis obnoxii: adduntur his mariti, qui sine consensu uxoris ad sacros ordines se promoveri desiderent.

Defectum Sacramenti habere dicuntur clynici, qui Baptisma distulerunt in tempus infirmitatis; neophyti, qui recens baptizati necdum sunt in Christi fide plene eruditi, item bigami, qui aut secundas nuptias contraxerunt, aut viduam uxorem duxerunt.

Defectum lenitatis dicuntur habere quotquot etiam juste hominem occiderint, aut mutilaverint, vel occidi, aut mutilari mandaverint, item occisioni, aut mutilationi vel caussam, vel auxilium præbuerint. Ex hac caussa irregulares dicuntur, qui sententiam dixerint in caussa capitali, qui hanc sententiam dicentem adjuvaverint, atque ejusdem sententiæ executores.

Qui homicidium, aut mutilationem admiserunt aut inevitabili fato, aut ex necessitate, cum alias se defendere nequivissent, irregulares ex ea caussa non fiunt, tum demum tales extituri, si culpam quandam admiserint. Hinc laici quicumque aut medicam,

aut

aut chirurgicam artem profitentes, urendo, secando nullam contrahunt irregularitatem, si nullam culpam admiserint, ex qua ægrotus aut mortuus fuerit, aut tabem insanabilem contraxerit: alias vero contra laicos medicam, aut chirurgicam artem profitentes nulla jure indicta irregularitas est. Si de clericis chirurgicam artem profitentibus agatur, etsi juxta leges artis urant, aut secent, irregulares fiunt, quia hanc artem exercere canonibus prohibentur, ideoque aut secando, aut urendo culpam admittunt. Potiore jure irregulares essent, si illorum culpa homicidium, aut tabes insanabilis sequeretur in exercitione vel medicæ, vel chirurgicæ artis; cum etiam laicis in hac specie irregularitas immineat.

CONCLUSIO.

QUÆ hucusque per omnes fere Juris Ecclesiastici partes pervagatus ita exprimere conatus sum, ut cum brevitati consulerem, tum etiam nihil officerem perspicuitati, videntur sane mihi exhibere posse & prima Juris Ecclesiastici elementa, & summa ejusdem juris dogmata. Si quædam proposui, quæ forte paullo subtilia videantur, curavi, ut ea non sine simplicitate digererem, quo fieret, ut etiam juniorum intelligentiæ ac-

com-

commodata prodirent. Si multas, & pene innumeras rerum imagines congessi, dedi etiam operam, ut eas certus ordo distingueret, ac sua veluti in sede tributas collocaret, ne rudiorum animi turbarentur. Erunt forte, qui me de effusa majore rerum copia insimulabunt, ultra quam initio pollicitus fuerim; sed erunt etiam forte, qui de nimia brevitate, & de stylo nimis presso conquerentur. Plus æquo sibi blandirentur Scriptores, si putarent, se omnibus posse placere. Ego certe profiteor, me in posteriore parte delectatum fuisse brevitate dicendi; non adeo e converso angustos servasse limites differendi in priore. Nimirum rem utilem aggredi volui iis, qui primum pedem in ecclesiasticæ prudentiæ vestibulo ponunt, & sacræ disciplinæ studiis initiari desiderant. Rerum jejunis non sunt initio jejuna tradenda, & cruda, præsertim quæ ad prima elementa pertinent, quæ sane alto animo reposuisse juvat, cum ad ulteriora quisque progreditur. In his opportunus est & philosophiæ, & prudentiæ solidioris usus, quo animus assuescat & veritati, & utilitati. Ita ergo in priore parte me gessi, ut eadem elementa late panderem, discuterem, & aperte, imo etiam enucleate proponerem, gnarus hæc argumenta tyronibus

bus magis, quam provectis congruere. Cum ad alteram partem progressus sum, ibi orationem magis contraxi, ne gravis essem, & tyrones obruerem; eo consilio, ut jacerem semina disciplinæ, quæ quisque cum progrederetur, magis magisque foveret, & quotidianis adjectis incrementis augeret. Hoc ipso consilio temperavi ab iis, quæ incidere solent in disputationes scholasticorum; item ab iis, quæ ex varia variarum gentium, & provinciarum indole variam etiam disciplinam constituunt; ne ad singularia quæcumque propemodum innumera descenderem. Juris Ecclesiastici studiosos rogo, ut labores hosce meos, qualescumque sint, æqui boni faciant: ac candide profiteor, parem mihi futuram jucunditatem, sive cum noverim, ea, quæ persecutus sum, saltem in parte utilia quibusdam esse potuisse, sive cum noverim, quædam aut emendata, aut rejecta fuisse a viris prudentibus, quibus exploratum fuerit, ea aut a veritate, aut a prudentia esse aliena; neque enim aliud animo versavi, quam & veritati studere, & publicæ utilitati pro virili parte servire.

Finis Institut. Juris Ecclesiast.
edit. anno MDCCLXIX.

IMPRIMATUR.

F. Joannes Dominicus Pifelli Ord. Prædic. S. Th. M. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. Belgranus e Famulafco P. & R.

V. Se ne permette la Stampa.

GALLI per S. E. il Signor Conte Caiſſotti di S. Vittoria Gran Cancelliere.

